# HISTORIAE
# ECLIPSIUM, COMETARVM ET PARELIORVM,

mediocri copiâ ex optimæ notæ tam antiquis quàm recentibus Scriptoribus collectæ,

*Cum*

*Eventuum, quos portenderunt, narrationibus ſuccinctis:*

Diſſertatione methodicâ & ſimplici ſingulis præmiſsâ, ſtudio & operâ

*M. HENRICI ECKSTORMII P. C. in Monaſterio VValkenredenſi Prioris & Parochi.*

Additus eſt rerum & vocabulorum INDEX.

*Helmaſt. typis heredum Iacobi Lucij,*

Anno CIↃ IↃ CXXI.

Symbolum

M. HENRICI ECKSTORMII

ex Hebr. VI.

*Spes eſt anchora animæ tuta & firma.*



*IN Cruce, Chriſte, tuâ ſpes eſt benè-fida ſalutis,*
*Vt nos deſtituat quicquid hic orbis habet.*
*Sic benè quòd ſperent timidi facit Anchora nautæ,*
*In miſeram ſævit cùm maris ira ratem.*
*Vt ſonet unda maris, ruat æther, terra fatiſcat,*
*Tu pie Chriſte, tuos deſtituiſſe nequis.*

# *REVERENDO VIRO,*
## *Pietate, eruditione & vitæ integritate conſpicuo,*
## DN. CHRISTIANO Haſelhorſt/ Eccleſiæ CHRISTI, quæ eſt Ierſſlebiæ, paſtori fideli, Domino & affini meo honorando & dilecto.

N*Ota eſt querela D. Polycarpi de miſeriâ ſuorum temporum:* Irenæus enim ſcribit in Epiſtolâ ad Florinum quendam, ut refert Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 18. & Nicephorus lib. 4. c. 30. *Ipſum, ſi impias hæreticorum voces audiret, aures obturaſſe & dixiſſe: Bone Deus, in quæ me tempora ſervaſti, ut iſta patiar?*

*Qualia autem fuerint tempora D. Polycarpi, legenti hiſtorias obſcurum eſſe non poteſt. Natus eſt ſanctus Dei Martyr, A. C. 84. circiter: D. Ioannem & alios Apoſtolos audivit, converſatus cum multis, qui Dominum no-*

*ſtrum viderunt*, ut ſcribit Irenæus lib.3.c.3. *Ab Apoſtolis in Aſiâ conſtitutus Smyrnæ Epiſcopꝰ circa A.C.160.martyriũ fecit ſub Imp. Antonino, cum, ut in Martyrio dixit, octoginta & ſex annos Deo ſervijſſet*, ut teſtatur Dn. Philippus Mel. Chronic. lib.3. in Antonino.

*Fuit tum quidem aurea ætas Eccleſiæ extructæ ſupra petram ſeu lapidem fundamentalem, angularem, precioſum, probatum, qui eſt* CHRISTUS IESUS *Dominus & Salvator noſter*, Pſal.117. Eſa. 28. Matt.16. 21. Act. 4. 1. Petr.2. *Sonuit enim tum in Eccleſiâ pura & integra doctrina de Deo & voluntate eius, de perſonâ & officio* CHRISTI, *de ſalvificâ in* CHRISTUM *fide, de dilectione proximi, de æternâ Eccleſiâ per verbum & Sacramenta in genere humano colligendâ, de reſurrectione mortuorum, de vitâ æternâ & reliquis religioſæ & Chriſtianæ pietatis capitibus. Atq; hanc doctrinam ſancti* CHRISTI *Apoſtoli per terrarum orbem non ſolùm prædicabant & Prophetarum teſtimonijs illuſtrabant, verùm etiam miraculis, quibus divinitùs valebant, & ſanguine ſuo confirmabant. Horum veſtigia ſequebantur B. Ignatius, Polycarpus, Irenæus & alij* γνήσιοι *Apoſtolorum diſcipuli, quorum doctri-*

*na*

*na cum Eccleſiarum noſtrarum confeßione congruit.*

*Sed hanc felicitatem primitivæ Eccleſiæ ſtatim interturbare conatus eſt* ἀντίδικος *ille* CHRISTI *& Eccleſiæ hoſtis*, 1. Petr. 5. *duobus modis ipſi propriÿs & omnibus ætatibus uſitatis, Mendacio nimirum & Homicidio*, Ioh. 8. *ſeu ut aliis verbis dicam, Hæreticorum pravitate, & Tyrannorum crudelitate. Excitavit enim D. Paulo Apoſtolo docente in Eccleſiâ Philippenſium Pſeudapoſtolos crucis* CHRISTI *hoſtes*, Phil. 3. *D. Iohanne Apoſtolo docente Cerinthus & Ebion blaſphemum dogma ſparſerunt contendentes tantùm humanam naturam eſſe in* CHRISTO. *Docente B. Polycarpo Marcion induxit ſuum errorem de duobus principÿs pariter æternis, inter ſe pugnantibus, bono ſcilicet & malo.*

*Magna etiam fuit tum temporis tyrannis diaboli graſſantis homicidio, concitatis non tantùm in politÿs bellis acerrimis, ſed etiam in Eccleſiâ perſecutionibus aſperrimis, quibus multum humani & innocentis ſanguinis effuſum eſt. Incidunt in hæc tempora horrendæ nominis Chriſtiani perſecutiones quatuor, ut numerant hiſtorici. Harum prima facta eſt*

 *ſub*

ſub Nerone, quâ DD. Petrus & Paulus Apoſtoli martyrio coronati eſſe perhibentur An. C. 67. Secunda perſecutio accidit ſub Domitiano, quâ D. Iohannes in Pathmon relegatus Apocalypſin ſcripſit, teſte Irenæo l. 5. Dionyſius Areopagita, Pauli auditor, hac perſecutione Pariſiis capite truncatus; Timotheus Epheſi à cultoribus Dianæ lapidibus obrutus eſt circa annum Chriſti 95. Tertiâ perſecutione factâ ſub Trajano Simeon frater Domini, Cleophæ filius, Epiſcopus Hieroſolymitanus crucifixus eſt, Euſebius lib. 3. cap. 26. Ignatius Epiſcopus Antiochenus Romæ beſtijs obiectus eſt. Cum eò duceretur, ſcripſit Epiſtolarum planè Apoſtolicarum ultimam ad Romanos, ex quâ libet huc adſcribere ἀξιομνημόνευτον hoc: Σῖτος εἰμὶ, inquit ſanctus Martyr, τοῦ θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος θεοῦ εὑρεθῶ. Frumentum ſum Dei, dentibus ferarum molor, ut mundus panis Dei inveniar. Item: καλόν ἐμοὶ ἀποθανεῖν διὰ Ἰησοῦν Χριστὸν, ἢ βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς. melius eſt mihi emori propter IESUM CHRISTUM, quàm imperare finibus terræ. Euſebius lib. 3. c. 30. Irenæus lib. 5. Quarta Chriſtianorum perſecutio facta eſt ſub Antonino Vero, quâ B. Polycarpus Smyrnæ, Iuſtinus Philoſo-

*loſophus Pergami, & Felicitas cum ſeptem fi-
lijs Romæ martyrium fecerunt.* Euſebius lib.
4. cap. 14. 15. & 16. Eutropius lib. 10. *De B.
Polycarpo memorabile eſt, quod annotavit Eu-
ſebius: Cum Proconſul diceret Polycarpo; Iura
per Cæſarem & dimittam te: Conviciare* CHRI-
STO; *Reſpondit ille: Octoginta ſex annos illi
ſervio, nec ullâ in re me læſit unquam, & quo-
modo poſſum maledicere regi meo, qui me ſer-
vavit? Annotavit etiam Euſebius ardentem
& memorabilem S. Martyris precationem,
quam ante Martyrium dixit, non indignã, quæ
huc adſcribatur: Ea ſic habet: Pater dilecti &
benedicti filij tui* IESU CHRISTI, *per quem
cognitionem tui accepimus, Deus Angelorum
& virtutum, omniſq; creaturæ, & omnis ge-
neris juſtorum, qui vivunt coram te, tibi gra-
tias ago, quod hac me die & horâ dignatus es,
ut partem accipiam in numero martyrum, in
populo* CHRISTI, *ad reſurrectionem vitæ æter-
næ, animæ ſimul & corporis, in incorruptione
Spiritus ſancti, in quibus ſuſcipitur in conſpe-
ctu tuo hodiè, in ſacrificio pingui atq; accepto,
ſicuti præparaſti, iam antè patefeciſti & ad-
impleſti, qui mentiri neſcis Deus verax. Qua-
propter & de omnibus te laudo, te benedico, te*

*glorifico per æternum Pontificem* IESUM CHRISTUM *filium tuum dilectum, per quem tibi unà cum ipſo & Spiritu ſancto ſit gloria nunc & in futuris ſeculorum ſeculis, Amen.*

*Perſecutiones aliæ his etiam vehementiores aliis temporibus ſequutæ ſunt, de quibus dicere mihi hoc loco non eſt propoſitum, has autem obiter recenſui, ut appareret, non ſupervaneam fuiſſe B. Polycarpi de ſuis temporibus querelam.*

*Perſecutiones autem, quas dixi, ſtatim exceperunt alia mala atrocia & tragica, quibus Deus punivit impiam Tyrannorum in Chriſtianos ſævitiam. Ea fuerunt Horrendi terræ motus, quibus multæ urbes præclaræ ſubverſæ ſunt. Antiochia ad Orontem graviter concuſſa eſt, ubi Trajanus ædificij ruinâ penè perijſſet,* Zonar. Tom. 2. ann. *Smyrna decimo anno poſt martyrium B. Polycarpi terræ motu corruit. Peſtilentiæ etiam malum tum provincias vaſtavit, & exercitum per hyberna diſpoſitum conſumpſit, tyrannosq; hoc modo compeſcuit. Factæ ſunt prætereà inundationes, venerunt Locuſtæ & ſimiles calamitates. Ipſi Tyranni perſecutores miſerè perierunt. Nero ex urbe fugiens, cum audiſſet propè eſſe equites à Senatu ad ſe*

*occi-*

*occidendum miſſos, ipſe ſuo ſe confecit gladio.* Zonar. Tom. 2. ann. *Domitianus à Libertis ſuis interfectus, ut peſſimus fuit, ita vitam violenter abrupit; quod utinam ante ſuſceptum imperium factum eſſet,* ut ſcribit & optat Zonar. Tom. 2. annal. *Trajanus veneno, vel ob ſuppreſſum ſanguinem, quem quotannis per alvum excernere ſolebat, mortuus eſt.* Zon. Tom. 2. annal. *Oroſius profluvio ventris extinctum dicit.* lib. 7. cap. 11. *Antoninum apoplexia repente extinxit.* Oroſius lib. 7. c. 15.

*Sua etiam iſtis temporibus fuerunt prodigia, nam & Solis & Lunæ factæ ſunt Eclipſes, & horribiles aliquoties apparuerunt Cometæ tantorum malorum prænuncij. Atq; hæc fuerunt infelicia iſta tempora, de quibus B. Polycarpus non fruſtrà queſtus eſſe videtur.*

*Sed ſi quis hæc tempora ad extremam, quam vivimus, ætatem conferat; næ ille experietur verum eſſe illud quod vulgò fertur:* Felix nimium prior ætas. *Et illud:* Omnis ætas de ſuo tempore queſta eſt. *Eam enim jam vivimus ætatem, in quam* CHRISTUS *veluti digitum intendiſſe videtur,* cum Luc. 18. inquit: *Filius hominis cum venerit, num reperturus eſt fidem in terrâ? Imò hæc eſt illa*

ætas, de quâ in Oraculis Sibyllinis lib. 2. *legitur verſus dudum editus:*

Υ ςατίης γενεῆς φῶτες κακοέργεες αἰνοί,

*O nimium pravi, quos ultima proferet ætas.*

*Singulari quidem Dei bonitate clarè apud nos fulget cœleſtis doctrinæ lux, quam Apoſtoli in primitivâ Eccleſiâ accenderunt. Tametſi enim illa traditionibus & ἐθελοθρησκείαις hominum variis longo tempore fuit obfuſcata, miniſterio tamen S. Lutheri poſtremo hoc ſeculo rurſum ita enituit, ut de eâ rectè dicere poſſimus cum D. Apoſtolo* 2. Petr. 1. *Habemus firmiſſimum ſermonem Propheticum; cui rectè facitis quod attenditis, velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, uſq; dum dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris.*

*At non ceſſat etiam hoc poſtremo ſeculo Eccleſiæ & humani generis hoſtis furere hæreſi & tyrannide. Quicquid enim veterum fuit errorum rurſum in ſcænam produxit, eandem ſemper agens fabulam, perſonis tantùm mutatis,* ut graviter monet Dn. Philippus l. 3. Chron. in Domitiano. *Sed hæc ordine recenſere & ſingulatim perſequi nimis foret prolixum.*

*Quomodo autem diabolus graſſetur homi-*

*cidijs*

cidijs in aperto eſt. Quis enim neſcit quàm exquiſitis tormentis in Italiâ, Galliâ, Angliâ, Hiſpaniâ, Belgio, & ipſâ Germaniâ ab ipſis renaſcentis Evangelij incunabulis, in innocentes Reformatæ Religionis aſſertores ſævitum ſit?

In Italiâ Hieronymus Savanorola Dominicanus & concionator, ſanctæ fidei & veritatis radijs illuſtratus, eamq́; ad extremum usq́; ſpiritum tutatus martyr CHRISTI factus eſt, cum duobus ſocijs Florentiæ in foro ſtrangulatus & in cinerem redactus. A. C. 1498. Franciſci Dryandri, qui VVittebergæ vivens Dn. Philippo perquàm fuit familiaris, frater ſanioris Religionis notitiâ inſtructus Romæ apud parentes delituit. Cumq́; in Germaniam ad fratrem eſſet commigraturus proditus à domeſticis captus & exuſtus eſt A. C. 1546. A. C. 1553. Romæ ſtrangulatus & exuſtus eſt cum Textore Peruſino Iohannes Mollius Theologus & Philoſophus inſignis, qui Brixiæ, Patavij & Bononiæ docuit, veritatemq́; Evangelij agnitam profeſſus à Cardinalibus & Epiſcopis damnatus fuit.

In Galliâ Lutetiæ Pariſiorum & alijs quibuſdam in locis A. C. 1534. chartæ quædam fuerunt affixæ, in quibus de Religione deq́; miſſâ

cum-

*cumprimis multa erant perſcripta: mox inquiri cæptum eſt ac inveſtigari, & per judicium nonnulli, quidam verò per ſuſpicionem comprehenſi, habitâ quæſtione, vivi cremantur, horribili ſanè ſpectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum ſublati, deinde in ignem è ſublimi demiſſi, & rurſus adducti, carnifice demùm abſcindente funem, in ſubjectam flammam corruebant: Iis etiam, qui paulò videbantur eruditiores, antequàm producerentur, lingua reſecta fuit, ne vel ſupplicij cauſſam, vel ſuæ doctrinæ ſummam ad populum explicarent.* Sleidanus lib. 9. *A. C. 1548. Lutetiæ propter Lutheraniſmum rursùm excitantur incendia & perſecutiones.* Sleidanus lib. 20. *A. C. 1553. Lugduni novem ad ſupplicium rapti ſunt propter ſinceræ Religionis confeſſionem, atq; inter eos Ludovicus Marſacus homo militaris, ſed ſacris literis egregiè inſtructus.* Sleidanus lib. 25. *A. C. 1557. Iterum orta eſt perſecutio in Pariſienſi Eccleſiâ, quâ viâ Iacobeâ expugnatâ multi capti & concremati ſunt*, ut eſt in commentarijs de ſtatu Religionis & Reip. in regno Galliæ lib. 1. *Sequenti anno Annas Borgæus Senator Regius propter conſtantem reformatæ doctrinæ confeſſionẽ captus & exuſtus eſt*, ut ijdem Cõmentarii teſtantur. *Sed*

*Sed Gallicanas has perſecutiones omnes & crudelitate & interfectorum numero longè ſuperant infauſtæ & funeſtæ iſtæ Pariſienſes nuptiæ, quibus intra menſis ſpacium triginta hominum millia ad minimum pro certo dicuntur trucidata,* ut affirmat autor commentariorum dictorum lib.10. quo immanem & crudelem iſtam lanienam prolixè deſcribit.

*In Angliâ Londini An.Ch.1540. crematus eſt Robertus Barnus doctus theologus familiariter notus Theandro Luthero, propter Evangelij doctrinam aliquandiu profugus ex Angliâ. Is cum intelligeret Regem Henricū ad veritatis agnitionem animum adijcere, domum revertit. Sed Rege Pontificiam doctrinam retinente conſtantiam præſtitit, & ad ſupplicium raptus eſt, poſtquam fidem ſuam in loco ſupplicij palam profeſſus eſſet. Eodem die exuſti ſunt alii duo eiuſdem Religionis.* Sleidanus lib.13.

*A.C.1553. in Angliâ ſecuri percuſſus eſt Thomas Palmerus, Vir Equeſtris ordinis, qui doctrinam Evangelij maximâ conſtantiâ profitebatur.* Sleidanus lib. 25. *A.C. 1555. initio Februarii Londini quinq; damnati ſunt capi-*

*tis*

*ris, quòd ad Pontificiam religionem redire nollent, egregiâ doctrinâ viri, Iohannes Hoppe-rus Epiſcopus Cloceſtrenſis, Iohannes Bratfordus, Laurentius Sanderus, Rolandus Taillerus Iureconſultus, Iohannes Rogerus, & hic quidem Londini, ubi ſacra docuerat, exuſtus eſt, illi verò domum quiſq; ſuam deportati, Cloceſtriam, Lancaſtriam, Coventriam, Haldam, eodem ſupplicio vitam finierunt, conſtanter omnes.* Sleidanus lib. eodem.

*Anno eodem Ridlæus Londinenſis Epiſcopus, & Hugo Latimerus valdè ſenex Londini fuerunt exuſti. Productus eſt etiam cum illis Thomas Crammerus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & in loco ſupplicii imploravit Dei miſericordiam, ſed reductus in carcerem fuit.* Sleidanus lib. 26. Camerarius in vitâ Philippi Melanchthonis.

*Hiſpanicæ crudelitatis in Religionis reformatæ aſſertores exempla quàm plurima exhibet liber A. C. 1569. editus &* Inquiſitio *Hiſpanica inſcriptus, in quo invenias omnis generis pœnas pientiſſimis* CHRISTI *confeſſoribus irrogatas, quæ maximis ſceleribus profligatiſſimorum hominum puniendis ſatis eſſe poterant.*

In

*In Belgio A. C. 1523. duo Auguſtinianæ profeſſionis Monachi Iohannes & Henricus martyrio coronati ſunt Bruxellæ, damnati, degradati & exuſti, quos Theander Lutherus piâ cantiunculâ Germanicâ ornavit.* Sleid. lib. 4.

*A. C. 1567. die 13. Iunii inter Daventriam & Sutphaniam, ab Hiſpanis maritus cum uxore gravidâ propter Evangelii profeſſionem ſuſpenduntur: Vxor cum pependiſſet quatuor horas, gemellos vivos mortua peperit. Annus perſecutionis & Tyrannidis Hiſpanicæ continetur hoc dicto: SaVLe, qVID Me perſeqVerIs?* Eberus in Calendario.

*Germania teſtis eſt crudelitatis & perfidiæ, quâ Romaniſtæ contra ſalvum conductum à Cæſare datum, Conſtantiæ exuſſerunt Sanctos* CHRISTI *Martyres Iohannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem A. C. 1415. illum die 8. Iulii, hunc die 9. Septembris.*

*A. C. 1524. Henricus Sutphanienſis, propter Evangelii doctrinam, miſerabili morte & magno cum cruciatu fuit interfectus apud Ditmarios, qui ſunt ad Germaniæ fines: Eò ſe tandem contulerat vocatus, cum apud Bremenſes per biennium circiter docuiſſet.* Sleid. lib. 4. Integram martyrij hujus hiſtoriam ſcri-

ſcripſit Theander Lutherus Tom.III.Ien. fol.27.

*A.C.1527.erat in Bavariâ Leonardus Cæſar Evangelii profeſſor. Is Paſſavienſis Epiſcopi mandato captus, hæc doctrinæ capita defendebat. Solam fidem juſtificare: Duo tantùm eſſe Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini: Miſſam non eſſe ſacrificium, neq; prodeſſe vivis aut mortuis: Confeſſionem delictorum eſſe conſilii non præcepti: Solum* CHRISTUM *ſatisfacere pro peccatis: Votum Caſtitatis non obligare: Scripturam non loqui de purgatorio: Nullum eſſe diſcrimen dierum: Mortuos non eſſe intercesſores: In rebus divinis non eſſe liberum hominis arbitrium. Tandem Epiſcopi voce damnatus pro hæretico, & Bavariæ Principi traditus die 16. Auguſti crematus eſt.* Sleid.lib.6. Luther.Tom.III.Germ.Ien.f.409.&ſeqq.

*Atq; huiuſmodi plùs quàm humanæ crudelitatis tragica exempla ex omnium gentium hiſtoriis plurima huc adſcribere poſſem, ſi nõ conſtituiſſem brevẽ potiùs compellationem, quàm prolixam hiſtoriarum commentationem mittere. Ex his autem, quæ adſcripſi ſatis apparet, quàm crudeliter Spiritus homicidii in poſtremæ ætatis Eccleſiam ſævierit.*

*Præ-*

*Præterea magnâ cum contentione & pertinaciâ continua propemodum bella ſunt geſta in pleriſq; Europæ regionibus & provinciis, multâ cum Chriſtiani ſanguinis profuſione, cùm Religionis tùm Regionis prætextu. Sed de his, cum nulli non conſtet, ſatius eſt tacere, quàm paucis dicere. Nemo etiam eſt qui ignoret continua iſta bella, quæ juratus Chriſtiani nominis hoſtis Turca poſtremis his temporibus Romano Imperatori ἀλλοπρόσαλλως, magnâ ſæpè cum Chriſtiani exercitus ſtrage movit. Horreſco cogitans triſtiſſimum illud Bohemiæ incendium, quod ad vicinas regiones progreſſum toti Romano Imperio extrema minatur, niſi Deus opt. max. ſalutaria pacis remedia oſtenderit.*

*Neq; etiam his malis ſua defuerunt prodigia, quæ ſingulis annis frequenter apparuerunt & hujus ſeculi calamitatibus præluxerunt, & ut illis maturè pararetur remedium præmonuerunt. Me ſanè moverunt, ut à primâ antiquitate ad hoc uſq; tempus colligerem & in chartas conÿcerem, cum brevibus eventuum notationibus Hiſtorias Eclipſium, Cometarum & Pareliorum.*

*Hanc συλλογὴν bono conſilio libuit mihi in-*

*ſcribere Generis & Filiis meis, & ad te quoq;, vir Reverende, cum amica hac compellatione mittere, ut qualemcunq; hanc meam opellam tibi cenſendam committerem, & contrà ſycophantæ morſum defendendam commendarem.*

*Volui etiam exhibere aliquam grati animi ſignificationem pro benevolentiâ tuâ, quòd ante novennium longum iter ingreſſus ſolennitati nuptiarũ fratris tui & filiæ meæ intereſſe voluiſti; quodq; ſequenti anno novis iſtis Sponſis & Lucæ filio meo inviſentib⁹ te Ierſlebiæ omnia humanitatis & benevolentiæ officia prolixè exhibuiſti. Tu quâ es humanitate & dexteritate compellationem hanc amicè accipe, & cum conjuge tuâ diu feliciter vale. VValkenredæ in veteri Comitatu Clettembergenſi ad radices ſylvæ Hercyniæ, menſe Majo, Anno Chriſti nati M. DC. XXI.*

*Tui amantiſsimus*

HENRICUS ECKSTORMIUS M.

HISTO-

# HISTORIAE ECLIPSIVM SOLARIUM ET LUNARIUM

*à M. HENRICO ECKSTORMIO collectæ, &*

Reverendis ac ornatiſſimis viris, MM. Andreæ Haſelhorſt/ & Hermanno Bertrami; Illi in ampliſſimi Ducatus Brunſuicenſis Comitatu Clettembergenſi Majoris VVechſungæ; huic in eiuſdem Ducatus Præfecturâ Lavvenſteinenſi Hemmendorpij Paſtori, Generis cariſſimis, amoris & benevolentiæ ergò inſcriptæ.

IOëlis 2. *cap*. memorabile extat vaticinium, quod Propheta circa annum ante incarnationem Chriſti Domini 810. populo Iſraëlitico edidit: effundam, inquit Deus, Spiritum meum ſuper omnem carnem: & Prophetabunt filii veſtri: & dabo prodigia in cœlo & in terrâ, ſanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.

Hoc vaticinium D. Apoſtolus Petrus *Act*. 2. teſtatur impletum eſſe ipſis Novi Teſtamenti Pentecoſtes feriis, ubi Spiritus ſanctus magno miraculo, viſibili ſpecie effuſus eſt ſuper Apoſtolos, qui Spiritu ſancto repleti protinùs linguis varijs loquuti ſunt, linguis eorum diviſis & igneis apparentibus.

Theander Lutherus in explicatione Ioëlis, (*Tom.3. Ien. fol. 489.*) idem aſſerit, & affirmat: Sicut Deus promulgationem

Le-

Legis multis miraculis & ſignis confirmavit, ita etiam in promulgatione Evangelii tali ſignorum & miraculorum apparatu & pompâ opus fuiſſe, ut conſcientiæ redderentur certiſſimæ, eſſe verbum Dei quod audirent.

Idem vir Dei ſigna iſta Solis converſi in tenebras & Lunæ in ſanguinem interpretatur de obſcuratione Solis & aliis ſignis tempore Paſſionis Dominicæ factis: Diem verò Domini magnum & de die revelati Evangelii accipit; cum conceſſione tamen, ut, ſi quis ea ſigna referre velit ad diem extremi judicij, id ſe non repugnante faciat, ſiquidem etiam Chriſtus prædixerit de ſignis præcedentibus judicii diem *Luc. 19.*

Cæterum Nicolaus de Lyra vaticinium Ioëlis interpretatur & de miſſione Spiritus ſancti & viſibili, & de tempore judicii extremi, ac ſignis illud præceſſuris.

Proinde quando ſigna ejuſmodi jam frequenter apparent, non otioſi ſimus illorum ſpectatores, ſed cogitemus de

beneficio revelati Evangelii, de pænis contemptores ejus ſecuturis, & maximè de judicio, quo pij ab omnibus malis liberati æternam beatitatem conſequentur, impij verò ſempiternis cruciatibus ſubjicientur. Et dubium non eſt in hunc finem poſtremo hoc mundi ſeculo tam frequentia nobis ob oculos poni prodigia.

Ego, ut ad pias has cogitationes & & me & alios excitarem, collegi mediocrem copiam Eclipſium tam Solarium quàm Lunarium, cum brevibus, qui eas ſequuti ſunt, eventuum hiſtoriis. Illas vobis, Generi cariſſimi, meo quodam conſilio inſcribere mihi viſum eſt.

Vos inſcriptionem boni conſulite & rectè valete.

DE

# DE ECLIPSIBVS SOLARIBUS

*Diſſertatio methodica & ſimplex.*

Ἐκλείψεως vocabulum Græcum eſt ἀπὸ τοῦ ἐκλείπειν, quod eſt deficere. Frequenter Græcis dicitur ὁ ἥλιος ἐκλείπων. Græco vocabulo reſpondet Latinum Defectus & Deliquium. Non enim infrequens eſt Latinis defectus & deliquium Solis & Lunæ. Utrumq; etiam luminare obſcurari dicitur. Et de Sole rectè dicitur, quòd obſcuretur à Lunâ.

Solis autem Eclipſes apud Græcos primus obſervaſſe legitur Thales Mileſius unus ex ſeptem iſtis Græciæ Sapientibus συγχρόνοις, qui floruit circiter anno quarto Olympiadis 48. h. e. A. M. 3384. ante C. N. 585. Poſt hunc Hipparchus compoſuit tabulas ſexcentorum annorum, in quibus motus luminarium calculavit, & tempora Eclipſium indicavit. Compoſuit etiam tabulas Coſmographicas: &

eventus comprobavit veras fuiſſe prædictiones. *Plinius lib. 2. cap. 12.* Vixit Hipparchus Rhodi, circa tempus belli, quod Romani cum Pyrrho Epirotarum Rege geſſerunt: incidit illud in A. M. 3688. ante C. N. 281.

Romani, ut ſcribit *Gellius lib. 2. c. 28.* de Lunæ motibus, ſoliſq; defectionibus non minus in ejus rei cauſſâ reperiendâ ſeſe exercuerunt. Apud illos ergò A. M. 3801. ante C. N. 168. rationem utriuſq; luminaris defectus in vulgus extulit Sulpitius Gallus tum Tribunus militum, ſed biennio poſt cum M. Marcello Conſul; qui in concionem militum ab Aemylio Paulo Imp. productus prædixit Eclipſin & de eâ volumen compoſuit. *Plin. lib. 2. c. 12. Livius lib. 4. dec. 5. Plutarchus in AEmylio Paulo.*

Eſt ergò duplex Eclipſis, Solis nimirum, & Lunæ. Proinde de Solis videbimus primo loco, de Lunæ ſecundo.

Eſt autem Eclipſis ſeu defectus ſolis, ut mathematici definiunt, averſio radiorum ſolarium ob interpoſitionem Lu-

Lunæ inter Solem & noſtrum viſum. Nec eſt Eclipſis Solis defectus ſeu privatio lucis in ipſo Sole, ſed eſt impeditio radiorum Solarium facta à corpore opaco Lunæ, quæ hoc modo vices reddit terræ, ut loquitur Plinius, h.e. ſicut aliquando Luna ab umbrâ terræ hebetata luce Solis privatur, ita viciſſim illa injuriam iſtam vindicans interventu ſuo terræ auguſtum lumen Solis eripit.

Ad intelligendas verò utriuſq; luminaris Eclipſes in primis notandæ ſunt V. ὑποθέσεις ſeu maximæ, quas ſubjicio.

I. Sol ſemper eſt ſub Eclipticâ lineâ, non etiam cæteri planetæ. Inde ſequitur non omni plenilunio fieri Eclipſin, etiamſi oppoſita ſint aſtra.

II. Luna non habet per ſe lumen, ſed illud à Sole accipit. Hinc ſequitur Lunam obumbrari poſſe, ſi quid Solis ſplendorem impediat, ut umbra terræ.

III. Terra eſt longè maior Lunâ. Inde ſequitur, quod umbra terræ totam Lunam poſſit tegere.

IV. Non fit Eclipſis niſi ſecundum dia-

diametrum, i. e. ut diameter rectâ lineâ tranſeat per tria corpora media, *Solem*, *Lunam* & *Terram*. Cum enim *Sol* ab Ecliptica non diſcedat, oportet, ut, ſi Eclipſis fieri debet, *Luna* etiam ſit ſub Eclipticâ in diametro, quod centrum trium corporum penetret.

V. Corpus *Lunæ* denſum eſt & minimè tranſlucens. Hinc fit, ut, quoties inter viſum noſtrum & *Solem* corpus *Lunæ* intervenit, *Sol* à nobis non videatur: Non quòd ſolis Splendor deficiat, ſed quod denſitas corporis *Lunaris* ſplendorem *Solis* ad nos demitti non ſinat.

Eclipſis autē ſeu obſcuratio *Solis* eſt vel totalis vel partialis. Totalis eſt, cum *Luna* toti⁹ *Solis* conſpectum alicui terræ parti adimit; quod fit cum Conjunctio *Solis* & *Lunæ* fieri videtur in ipſis interſectionibus circulorum ſuorum, aut non longè ab illis. Sed hæ Eclipſes propter *Solis* magnitudinem & *Lunæ* parvitatem, tum propter motus *Lunæ* velocitatem non ſunt diuturnæ.

Partialis *Solis* Eclipſis eſt, cum tantùm

tùm aliquam partem radiorum Solarium avertit Luna. Hæc fit quando luminaria extra puncta interſectionum, intra tamen terminos Eclipticos, conjungi videntur.

Termini Ecliptici removentur ab interſectionibus tanto intervallo, quanto Luna Soli conjuncta videtur habere latitudinem vel majorem 35. minutis, vel æqualem. Hoc enim poſitu Luna tantùm attinget vel ſtringet potiùs extremitatem corporis Solaris. Ptolomæus ponit terminos Eclipticos ultra & citra nodos, ad Auſtrum quidem 11. gradus & minuta 22. ad Septentrionem verò 20. gradus & beſſem ferè, h.e. 40. minuta: Intra quos Luna tempore conjunctionis currens Solem totum vel partem ejus aliquam tegere poteſt.

Cum autem Luna non tantùm Sole ſed etiam terrâ longè ſit minor, non ſpargit tantam umbram, ut medietatem globi terreni involvat, ſed aliquam tantùm ejus, & quidem exiguam partem, præſertim cum propter diſtantiam Lunæ à ter-

terrâ umbra Lunæ paulatim attenuata coni ſeu turbinis modo, ea parte, quâ terræ ſuperficiem attingit, arcto circulo claudatur, & à ſuperficie abſcindatur: Hinc Solis totalem quidem, non autem univerſalem fieri Eclipſin dicetur. Nam Solis Eclipſis per univerſam terram naturâ non fit, ſed miraculo, qualis fuit, cum in Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti Sol fuit obſcuratus.

Fit autem Solis Eclipſis regulariter, quando Luna Soli conjungitur circa novilunium: ſeu, ut Plinius loquitur *lib.2.c. 13.* Solis defectus non fit niſi noviſſimâ primâve Lunâ, quod vocant coitum. Sed neceſſe eſt conjunctionem iſtam fieri in nodis, vel prope alterutrum nodorum, quando Luna vel nullam vel exiguam habet latitudinem. Nam extra iſtos nodos, cum in latitudinem evagatur Luna ab Ecliptica, cum Soli conjungitur, ita illum prætercurrit, ut nullam ejus partem obſcuret, & umbra ſparſa à corpore nulla parte terram attingat.

Notandum & hoc, Eclipſin fieri non in

in verâ ſed viſibili conjunctione. Eſt enim conjunctio luminarium alia vera, alia viſibilis, ſeu apparens. Vera conjunctio eſt, quando centra trium corporum Solis, Lunæ, Terræ in unâ rectâ ſunt lineâ. Conjunctio viſibilis ſeu apparens eſt, quando centra luminũ & viſus noſter unam rectã lineã tangunt. Nam propter propinquitatem Lunæ ad terram aliquam varietatẽ adfert παράλλαξις, quæ facit ut Luna ex ſuperficie terræ viſa cernatur in alio loco Zodiaci citra vel ultra verũ locũ in Zodiaco. Eſt igitur παράλλαξις alteratio viſus noſtri, quam vocamus diverſitatem aſpectus: Fitq; duplici modo, vel in Zodiaci longitudine vel latitudine.

Dicendum nunc de quantitate Eclipſis Solaris: Variat illa, prout latitudo Lunæ apparens ſeu viſibilis aut nulla minuta, aut pauca habet. Nam ſi latitudo apparens major eſt 35. minutis, (quæ colliguntur ex ſemidiametris apparentibus utriuſq; luminaris) Luna nullam partem Solis obſcurat. Si verò minor eſt. 35. minutis, aliquam partem Solis tegit. Ut

cum

cum latitudo apparens æquat ſemidiametrum Solis apparentem, (quæ eſt ferè 17. minutorum) Lunæ centrum oram corporis Solaris ſtringere videtur, ideoq; dimidium ferè Solem occultat. Si deniq; nulla eſt, ita ut centrum ejus videatur exactè ſub Ecliptica eſſe, tunc quia utriuſque luminaris centrum in eandem rectam lineam incurrit, Luna totum Solem nobis eripit objectu corporis ſui, ſed mox progrediens motu proprio ab occaſu verſus ortum, Solem retectum iterum terris conſpiciendum præbet. Nam in totali Solis obſcuratione non talis mora intercedit, qualis in Lunæ defectione ſentitur: nam ſuperficies Lunæ plana (ut nobis videtur) cum adfert Eclipſin, Solis ſuperficiem apparentem aut æquat, aut exiguo ſpacio excedit, ut Solis corpus totum diu obtegere non poſſit.

Etſi autem Luna collata ad Solem exiguo eſt corpore, Solis tamen corpus occultare poteſt propter duas cauſſas, quarum prior eſt propinquitas Lunæ ad terram, quæ cùm altiſſima eſt, diſtat 64.

ſemi-

ſemidiametris terræ & ſextante. Altera cauſſa eſt altitudo Solis, qui decies novies ferè longiùs abeſt à terreno globo, quàm Luna. Propter tantam remotionem Solis fit ut Luna viſui noſtro proximè admota aliquando totum Solem tegere poſſit, ſicuti etiam vaſtiſſimi montes diſco objecto oculis noſtris poſſunt occultari. Et propter hanc inæqualem diſtantiam luminum diameter Lunæ apparens aliquando minor, aliquando æqualis aut major deprehenditur diametro Solis apparente.

Maxima autem fit Solis obſcuratio, cum centra luminum & viſus noſter unam rectam lineam tangunt; quæ conjunctio viſibilis dicitur.

Digiti Ecliptici ſunt duodecimæ partes corporis Solaris vel Lunaris obſcurati. Utriuſq; enim luminis diameter viſibilis videtur æquare ſpithamã ſeu palmũ conſtantem 12. digitis tranſverſis: Hinc utriuſque luminis corpus in totidem digitos dividitur. Quòd autem interdum quædam Eclipſes plurium quàm 12. digitorum dican-

dicantur, illud tantùm in defectibus Lunaribus uſu venit. Luna enim ſæpè non tantùm tota h. e. 12. digitis obſcuratur, ſed etiam præthereà interdum aliquot digitis in umbram terræ incurrit, qui tum 12. digitis corporis Lunaris annumerantur.

Monendum & hoc: Non apparere Eclipſin Solis omnibus, qui eam vident, eodem temporis ſpacio. Tardiùs enim illa apparet ijs, qui ad ortum habitant, quia his citiùs Sol & oritur & occidit, ideò numerant ab ortu Solis uſq; ad tempus conſpectæ Eclipſis, plures horas. Citiùs verò habitantibus od occaſum, quia cum his tardiùs Sol oriatur & occidat, à tempore ortus Solis ad conſpectam Eclipſin pauciores numerant horas.

Supereſt nunc ut de effectu Eclipſium Solarium non nihil dicatur. Omnium autem ætatum exempla & experientia triſtium eventuum teſtantur, magnas mutationes rerum, æſtus & ex his agrorum ſterilitates, diluvia, peſtilentias, bella & magnas clades ſtatim poſt luminum defe-

defectus accidiſſe, ut illa mala penè denunciari viderentur à cœlo, ut monet *Freigius V. Cl. quæſtionum Phyſicarum lib. 14.*

Peucerus in loco divinationum de Aſtrologiâ graviter ſcribit de Eclipſium effectis, cum inquit: Quid de luminum dicam deliquiis? an horum, planetarumq; his aut aſſiſtentium aut radijs accumbentium affectiones inficiabimur & ſignificata, quorum triſti deformiq; aſpectu omni tempore hominum animi conterriti expaverunt, trepidaruntq;, occulto ſcilicet ſenſu naturæ præſagientes ſequutura damna? Neq; innoxiè unquam vel ſuam abſcondit Sol faciem, Lunæ contectam interventu; vel jacturam facit Luna luminis hebetati umbrâ terræ. *Hactenus Peucerus.*

Notatu dignum eſt, quod Arthuſius ſcribit de Moluccarũ Inſularum incolis. Eclipſes Solis & Lunæ, inquit, illis ſunt formidabiles. Quando enim aliquam evenire vident, lamentabili voce quiritantur & in lacrymas reſolvuntur, Regis ſui vitæ metuentes. *Tom. 4. lib. 4.*

Ut autem de Eclipſium effectis plenius cõſtet, ſubjicio nunc hiſtorias complurium Solis defectuum, cum brevi commemoratione eventuum, qui illos ſequuti ſunt. Eo enim ſine potiſſimùm hanc qualemcunq; commentationem ſuſcepi. Fundamenta autem & exactior Eclipſium doctrina ex artificum libris petantur.

*HISTORIAE*

# ECLIPSIVM SOLARIVM cum brevibus eventuum narrationibus.

ANno Mundi 3199. h.e. ante Chriſtum natum 770. die 5. Maji facta eſt Eclipſis Solis, cujus meminit Dionyſius Halicarnaſſenſis. Integrum calculum & picturam habet Buntingus V. Clar. qui hæc ſubjicit. Facta eſt hæc Eclipſis Olympiadis ſecundæ anno ſecundo, primo die menſis Thargelionis, qui apud

pud Græcos eſt in ordine undecimus. Nativitas igitur Romuli & Remi, quæ nono menſe poſt hanc Eclipſin facta eſt, incidit in annum 3. Olympiadis ſecundæ, & in initium anni ante Chriſti nativitatem 767. Et quamvis in AEgypto, ſicut hic calculus Aſtronomicus demonſtrat, Sol ultra dimidiam partem lucem amiſerit, in Italiâ tamen ad dimidiam fermè partem defecit, & in Aethiopiâ totus Sol eſt obſcuratus. Cæterùm quæ mala Eclipſin hanc ſequuta ſint, hiſtoriæ ſeries ſatis declarat. Nam de Iliâ ſive Rheâ Romuli matre ſumptum eſt ſupplicium. Theglat Phul Aſſar Babyloniæ & Aſſyriæ Rex circa hæc tempora tribum Naphthali abduxit in Aſſyriam. *4. Reg. 15.*

A.M. 3254. ante C.N. 715. die 26. Maji, horribilis Eclipſis facta eſt tempore necis Romuli. Hujus deliquij calculus & pictura eſt etiam apud Büntingum. Meminit ejus etiam *Dionyſius Halicarn. lib. 2. Antiquit. Rom.* Prodigia cœleſtia, inquit ille, circa ortum Romuli pariter viſa ſunt, atque obitum. Nam cum matri ejus vis in-

ferretur, incertum ab homine, an Deo, deliquium Solis factum, terriſq; interdiu tenebras nocturnis ſimiles incubuiſſe ajunt; quod etiam necis ejus tempore accidit.

A. M. 3384. ante C. N. 585. in initio anni quarti Olympiadis 48. ultimo die undecimi menſis, quem Græci Thargelionem vocant, cui reſpondet 28. Maij, facta eſt Eclipſis Solis omnium maxima, nam totus Sol fermè obſcuratus eſt in principio Geminorum. De hac Eclipſi eſt *apud Herodotum lib. 1.* ubi ſic ſcribit: Bellum inter Lydos Medoſq; quinquennale conflatum eſt. Quo in bello aliquoties Medi victores extiterunt, & nocturnum quoddam prælium geſſerunt. Sexto autem anno ſignis collatis cum æquo Marte certarent, ſtante pugnâ contigit, ut repentè dies nox efficeretur: Quam mutationem hujus diei futuram Thales Mileſius Ionibus prædixerat, hunc ipſum annum præfiniens, quo immutatio facta eſt. Lydi & Medi ubi diem nocteſcere viderunt, à pugnâ deſtiterunt, eoq; propen-

ſiùs ad pacem inter ſe conſtituendam feſtinaverunt. Hujus Eclipſis calculus & pictura eſt apud Büntingum.

A.M. 3386. ante C.N. 583. anno Urbis Romæ 170. 1. die Octobris, horribile Solis deliquium factum eſt, cujus meminit *Plinius lib. 2. cap. 12.* qui, ut Büntingo videtur, eam confundit cum Eclipſi ante biennium factâ. Calculus & pictura hujus Eclipſis eſt apud Büntingum.

A. M. 3488. ante C.N. 481. die 19. Aprilis ineunte vere, Sol Eclipſin paſſus eſt, ubi ſexta fermè in Sole diametri pars in Auſtro defecit. Calculum & figuram exhibet Büntingus. De hoc Solis defectu eſt *apud Herodotum lib. 7.* Cum toto ſuo exercitu tum Xerxes Perſarum Rex adverſus Græcos expeditionem faciebat. Viſo hoc Solis defectu magos ille percunctatus eſt, quid oſtentum hoc portenderet? Cui magi reſponderunt, Deum ſignificare Græcis civitatum defectum, dicentes, Solem Græcorum, Lunam Perſarum eſſe præſidem. Exceperat tunc magnificentiſſimo hoſpitio Regem cum exercitu

Pythius Lydus opulentiſſimus, ipſiq; ingentia munera dederat. Is animadverſo Solis deliquio petiit à Rege, ut ſibi ex filijs quinque, qui in Regio exercitu erant, natu majorem domi relinqueret. Petitione hac exacerbatus Xerxes filium Pythij iſtum natu majorem juſſit medium diſcindi, alterâ parte ad dextram, alterâ ad ſiniſtram viæ poſitâ, per medium exercitum totum tranſire mandavit.

A.M. 3514. ante C.N. 455. Olymp. 81. anno 2. Pericles Athenienſium Dux miſſus eſt contra Peloponeſios. Cum in ſuam triremem ingreſſus eſſet Pericles, accidit fortè, ut deficeret Sol. Cumq; obducta nox cœlo eſſet, terror, ut prodigio oblato magno, inceſſit omnes. Gubernatorem verò Pericles trepidum & ſtupentem cernens, Chlamydem objecit oculis ejus, intectumq; interrogavit, nunquid horrendi id eſſet aut portenderet gravius? Abnuente eo, Quid autem, infit, inter hoc & illud intereſt, niſi quatenus illud, quod caliginem invexit, eſt Chlamyde grandius? Sed in iſtâ expeditione

&ap-

& apparatu dignum nihil geſſit tum Pericles. *Plutarchus in Pericle.*

A. M. 3538. ante C. N. 431. die 3. Auguſti, facta eſt Eclipſis Solis, quâ totus fermè Sol ita defecit, ut interdiu Stellæ aliquot videri potuerint, *teſte Thucydide lib. 2.* Picturam & calculum hujus Eclipſis exhibet Büntingus. Quid autem hic Solis defectus, & Cometa eodem tempore apparens portenderint, facilè patet ex Thucydide. Præter bellum enim ſequuta eſt horribilis peſtilentia, quæ Attica eſt vocata, quòd illa Athenienſium civitas ad interneccionem ferè deleta fuerit.

A. M. 3544. ante C. N. 424. anno ſeptimo belli Peloponeſiaci, in initio æſtatis, die 21. Martij, Eclipſis Solis facta eſt, cujus calculum & picturam exhibet Büntingus, *Teſte Thucydide lib. 4.* eodem menſe ſequutus eſt terræ motus. Declarat idem Thucydides, qui tumultus hanc Eclipſin in Græciâ ſint ſequuti. Athenienſes Cytheram inſulam & Niſæam arcem ceperunt. Braſidas Dux Laconicus multas civitates Athenienſium occupavit.

A. M. 3565. ante C. N. 404. die 3. Septembris, anno ultimo ſeu 28. belli Peloponeſiaci facta eſt Eclipſis Solis, cuius calculum & picturam habet Büntingus. Tres Solis Eclipſes acciderunt tempore belli Peloponeſiaci: Prima anno primo: Secunda anno octavo: Tertia cum bellum præcisè eſſet finitum. Hanc tertiam Eclipſin multa mala ſequuta ſunt, utpote, Crudelitas XXX. Tyrannorum apud Athenienſes, qui quorundam interfectorum filias coëgeruut ſaltare in cruore parentum, quæ ſe mox ex iſtis locis dederunt præcipites. In hæc tempora incidit etiam interitus præſtantiſſimorum virorum Alcibiadis & Theramenis, quorum hic juſſu Critiæ Athenis veneno ſublatus eſt; ille in Helleſponto juſſu Pharnabazi Ducis Perſici, domo, in qua erat, incenſâ miſerabiliter perijt. Thraſybulus Dux Athenienſis exſul ſuſcepit bellum contra XXX. Tyrannos. Hanc Eclipſin etiam ſequuta eſt ἀνάβασις Cyri Iunioris, qui ingentem exercitum ex Aſiâ minori duxit ultra Euphratem adverſus

ſus fratrem Artaxerxem Mnemonem Perſarum Regem. Artaxerxes Rex magno exercitu collecto cum fratre dimicavit, & ab ipſo in prælio vulneratus eſt. Sed aliquantò pòſt Cyrus irrumpens in medios hoſtes interfectus eſt, & pœnas dedit, quod ſine juſtâ cauſâ fratri Regi bellum moviſſet. Expeditionem hanc deſcribit *Xenophon* Cyro familiaris, qui ei interfuit. Lubet hoc loco brevi tabellâ addere familiam Monarcharum Perſicorum.

*Cyrus Magnus 1. Monarcha obijt A. M. 3434.*

*Cambyſes II. ob. 3441.*

*Aŏſſa-Darius III. ob. 3478.*

*Xerxes IV. ob. 3499.*

*Darius-Artaxerxes Longimanus V. obijt 3543.*

*Ochus-Darius nothus VI. obijt 3562.*

*a*

*Artaxerxes* Μνήμων *VII. ob. A.M. 3598.* — *Cyrus junior.*

*Ochus IIX. obiit 3624.*

*Arſames IX. veneno tollitur 3628.* — *Darius X. victus ab Alexandro M. A.M. 3638.*

A. M. 3575. ante C. N. 394. Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum ad Coronéam in finibus Bœotiæ caſtra habens vidit Solem deficere & Lunatam formam reddere; (τὸν ἥλιον ἐκλείποντα καὶ γενόμενον μηνοειδῆ κατεῖδεν, ut habet Plutarchus: Xenophon habet, ὁ ἥλιος μηνοειδὴς ἔδοξε φανῆναι:) audivit etiam Piſandrum à Pharnabazo & Conone victum. Acerbè quidem id Ageſilaus Reipub. cauſsâ tulit, ſed venientibus à mari diverſa nunciare juſſit, nempe victoriam navali iſto prælio fuiſſe penes Lacedæmonios, ac ne militibus formido inceſſeret, læti nuncij cauſsâ ſacrificavit, & cum Thebanis fortiter congreſ-

greſſus dimicavit, victoriamq; reportavit Thebanis multis trucidatis;ipſeq; vulneratus eſt. *Plutarchus in vitâ Ageſilai. Xenophon lib. 4. Hellen.* Büntingus annotavit hanc Eclipſin factam eſſe die 14. Auguſti, quo Sol defecerit ex parte, videlicet duos digitos ab Auſtro.

A. M. 3598. ante C. N. 371. Thebani Ducibus Pelopidâ & Epaminondâ Spartanos vicerunt ad Leuctra. Aliquot annis pòſt Pelopidas expeditionem ſuſcepit contra Alexandrum Pheræum Theſſaliæ Tyrannum: Cumq; delectum haberet civium, Sol defecit, & caligo interdiù habuit urbem. Videns igitur cives trepidantes noluit ipſos invitos extrudere, ſed ſemet cum trecentis Equitibus externis & voluntariis dedit Theſſalis. Cum hoſte autem congreſſus victoriam quidem peperit fortiter dimicans, ſed vitam magno cum dolore civium & commilitonum amiſit. *Plutarchus in Pelopidâ.*

A. M. 3653. ante C. N. 316. Agathocles cæpit regnare in Siciliâ. Ille cum adverſus Carthaginenſes ſuſciperet expeditionem

nem, Sol defecit. Cujus rei rationem Rex non minori curâ quàm belli reddebat, affirmans; ſi, priuſquàm proficiſceretur, factum eſſet, credi adverſum profecturos prodigium eſſe: Nunc quia egreſſis acciderit, illis, ad quos eatur, portendere. Porrò defectus naturalium ſiderum ſemper præſentem ſtatum mutare, certumque eſſe, florentibus Carthaginenſibus opibus, adverſiſq; rebus ſuis commutationem ſignificari. Sic conſolatus milites naves omnes exercitu conſentiente incendi jubet, ut ſcirent, auxilio fugæ adempro, aut vincendum aut moriendum eſſe. Deinde cum omnia, quacunque ingrederentur, proſternerent, villas caſtellaq; incenderent, obvius his fuit cum XXX. millibus Pœnorum Hanno Dux, & prælio commiſſo duo de Siculis, tria millia de Pœnis cum Duce cecidêre. Hac victoriâ Siculorum animi eriguntur & Pœnorum franguntur. Agathocles victis hoſtibus urbes caſtellaq; expugnat, prædas ingentes agit,

agit, hoſtium multa millia trucidat. &c. *Juſtinus lib. 22.*

A.M. 3751. ante C. N. 217. 11. Februarij, anno ſecundo belli Punici, Orbis Solis (ut Livius loquitur) minui viſus eſt, h. e. Eclipſis Solis eſt facta. Sol enim obſcuratus eſt ad digitos 9 ſcrup. 12. Büntingus habet calculum & picturam hujus Solis defectus, & ſubjicit ei, quæ ſequuntur. Videri potuit horribilis hæc Eclipſis Solis in Aſiâ minore, Græciâ, Italiâ, Africâ, Galliâ, Hiſpaniâ & in totâ Europâ, unde varij rumores de hoc defectu Solis Romam perlati ſunt. Quidam orbem Solis minui viſum, alij ignari Aſtronomiæ, pugnam Solis & Lunæ contigiſſe dixerunt, atq; ita horribilem hunc defectum Solis, pugnam Lunæ ac Solis nominarunt. *Vtrumq́; legitur apud Livium Dec. 3. lib. 2.* Cæterùm quæ mala hanc Eclipſin ſequuta, leguntur apud Livium, Polybium, alioſq́; ſcriptores. Hannibal in Thuſciâ juxta lacum Thraſymenum quindecim millia Romanorum cum Flaminio Coſ. trucidavit: Terra hoc anno ſepties

&quin-

& quinquagies mota eſt: In ipsâ pugnâ factus eſt terræ motus: Romæ duæ matres præ nimio gaudio extinctæ ſunt; una in portâ filio ſoſpite repentè oblato; altera domi ſedens filio redeunte conſpecto, cujus mors falsò nunciata fuerat. Ptolemæus Philopator Aegypti Rex, victo & fugato Antiocho inſolentior factus ingreſſus eſt Hieroſolymã, Sanctum Sanctorum profanare conatus eſt, graviterq; à Deo punitus, in Aegyptum reverſus ſupra modum adflixit Iudæos. *Lib. 3. Maccab.*

A. M. 3766. ante C. N. 203. Urbis Rom. 550. Anno 16. ſeu ultimo belli Punici, die 6. Maij, Sol defecit ad digitos 5. ſcrup. 54. ſive, dimidia ferè pars diametri in Sole defecit. Büntingus habet Eclipſis hujus calculum & picturam. Livius hujus Eclipſis meminit verbis obſcuris lib. 30. Dec. 3. & quæ eam ſequuta ſunt, mala multa recenſet: Ea ſunt: Circa Capuam eodem hoc tempore omnem agrum ingens Locuſtarum vis complevit, ita ut unde adveniſſent parum conſtaret. Scipio Carthaginenſes navali prælio vicit.

Læ-

Lælius & Maſaniſſa hoſtili exercitu invaſerunt regnum Syphacis. Syphax captivus Romam miſſus præ ægritudine extinguitur: Sophonisba uxor ejus venenum bibit. Hannibal ut patriæ ſubveniret revocatus in Africam, flens Italiam reliquit, omnibus Italici generis militibus nolentibus ſequi interfectis. Anno ſequenti hanc Eclipſin Scipio Hannibalem vicit, & Carthaginenſes ad extremam miſeriam redactos pacem petere coëgit. Verminam Syphacis filium Carthaginenſibus opitulantem Scipio fudit, & regni finibus ejecit.

A.M. 3767. ante C.N. 202. Urbis Romæ 551. die 19. Octobris, paulò poſt ultimam pugnam Scipionis & Hannibalis, priuſquàm certa victoriæ fama Romam perlata eſſet, Cumis orbis Solis minui viſus eſt, *ut ſcribit Livius Dec. 3. lib. 10.* Calculum & picturam Eclipſis hujus, quâ Sol defecit digitis 2. ſcrup. 38. ſeu quartâ fermè diametri parte ab Auſtro. Hunc Solis defectum, & ſequutas tres Lunæ Eclipſes ſtatim ſequutum eſt bellum Macedonicum.

A.M.

A. M. 3778. ante C. N. 190. Urbis Romæ 563. 14. die Martij, cœlo ſereno interdiu obſcurata eſt lux, cum Luna ſub orbem Solis ſubijſſet, *ut ſcribit Livius Dec. 4. lib. 7.* Eclipſi hac Sol defecit digitis 11. ſcrup. 47. ut apparet ex calculo & picturâ Büntingi. Tempore hujus Solis defectus L. Cornelius Scipio Aſiaticus Coſ. in Græciam & inde in Aſiam progreſſus eſt ad bellum Antiocho inferendum. Eodem hoc anno Antiochus M. Syriæ Rex, Antiochi Epiphanis impij pater, fædâ ſtrage cæſus à Scipione apud urbem Magneſiam coactus eſt pacem à Romanis petere, hac conditione, ut omni Aſiâ minore cis Taurum montem abſtineret. Atque ita Monarchia ſeu Imperium mundi paulatim à Græcis ad Romanos inclinare cæpit.

A. M. 3781. ante C. N. 188. Luce inter horam tertiam fermè & quartam tenebræ obortæ ſunt, *ut Livius lib. 8. Dec. 4. deſcribit* Eclipſin Solis factam die 17. Iulij, quâ Sol defecit quartâ diametri parte ab Auſtro, ſeu digitis 3. ſcrup. 3. ut apparet

ex

ex calculo & picturâ Büntingi. Anno ſequenti hanc Eclipſin Antiochus Magnus cum exercitu in Perſidem progreſſus, ut Iovis Dodonæi templum ſpoliaret, à Barbaris horribili clade cæſus vitam pariter cum exercitu amiſit.

A. M. 2865. ante C. N. 104. horâ diei tertiâ Solis defectus lucem obſcuravit. *Iulius Obſequens.* Marius Coſ. mittitur contra Cymbros & Teutonas, qui Alpes erant tranſgreſſi.

Anno CHRISTI IESU 34. die 3. Aprilis, quod auditu horribile eſt, duæ Eclipſes factæ ſunt, prima in Sole circa meridiem in undecimo gradu arietis, in medio cœli, non procul à capite Draconis, cum filius Dei Dominus noſter IESUS CHRISTUS in arâ Crucis caput draconis contereret. Eclipſis altera facta eſt in Lunâ, circa veſperam Sole occidente, paulò poſt ſepulturam CHRISTI, quo tempore Luna, naturaliter tamen, defecit, ut ſuo loco dicetur. Solis autem defectus tempore plenilunij factus, naturalis non fuit, ſed præternaturalis & hyper-

physicus. Deſcribitur autem iiſdem verbis *à D. Matthæo cap. 27. D. Marco c. 15. & D. Lucâ 23.* A ſextâ horâ tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam. His verbis *Lucas addit:* Et obſcuratus eſt Sol.

De præternaturali & miraculoſâ hac Solis Eclipſi notabile eſt, *quod Suida ſcriptum reliquit in Dionyſio.* Dionyſius iſte, qui poſteà Athenis Areopagita & Pauli auditor fuit, tandemq; Epiſcopus Athenienſis Eccleſiæ factus eſt, Tiberio Imperante ſtudiorum cauſsâ fuit in AEgypto, & cum eo Apollophanes Sophiſta. Uterq; Domino IESU patiente erant Heliopoli. Solari igitur Eclipſi præternaturaliter factâ; non enim erat congreſſûs tempus, ſed mirum in modum Luna Soli incidebat, & à ſextâ horâ uſque ad veſperam in Solis oppoſitu ſupernaturaliter ex adverſo conſiſtebat: Iſtis rebus ſupernaturalibus ita tunc noviter factis dixit Apollophanes Sophiſta veluti vaticinatus: ô bone Dionyſi, mutationes divinorum operum. ὦ καλὲ Διονύσιε, ἀμοιβαὶ θείων πραγμάτων.

γμάτων. Ipſe autem Dionyſius dixit: Aut Deus patitur, aut cum patiente compatitur. Ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *D. Auguſtinus Ep. 80 ad Heſychium* de hac Eclipſi ſic ſcribit. Solus ille defectus, quando Crucifixus eſt CHRISTUS, non talis, ut reliqui Solis defectus, fuit; ſed verè mirabilis & prodigioſus. Referuntur etiam huc, quæ de hac Eclipſi annotavit *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cent. 1. lib. 1. cap. 11. ex Epiſtolâ Dionyſii Areopagitæ.* Nonnihil etiam de eâ refert Paradinus in Symbolorum Heroicorum eo, quod inſcribitur: Hæc conſcia numinis ætas.

Memorabiles etiam ſunt verſus Sedulij de hac Eclipſi & ſignificatione ejus, qui lib. 4. oper. paſchal. tales extant:

*Intereà horrendæ ſubitò venêre tenebræ,*
*Et totum tenuêre polum, mæſtiſq; nigrantem*
*Exequijs texêre diem, Sol nube coruſcos*
*Abſcondens radios, tetro velatus amictu*
*Delituit, triſtemq; infecit luctibus orbem,*
*Tota ſibi oppoſitum fratrem quod Delia haberet,*
*Cum ſuberat terris, ſupero ille in culmine cæli,*

*Impia perpetuam timuerunt ſecula noctem.*
*Hunc elementa ſibi meruerunt cernere vultum*
*Auxilÿs orbata Patris, læta per ortum,*
*Mœſta per occaſum. Nam lux ut tempore fulſit*
*Naſcentis Domini, ſic hoc moriente receſſit,*
*Non abſens manſura diu, ſed myſtica ſignans*
*Per ſpacium ſecreta ſuum: quippe ut tribus horis*
*Cæca tenebroſi latuerunt ſidera cœli,*
*Sic Dominus clauſi triduo tulit antra ſepulchri.*

Anno Chriſti nati 46. erat iſte quintus annus Imperij Claudij Cæſaris, die 1. Aug. facta Eclipſis Solis, qui defecit digitis trib⁹ ſcrupulis triginta quinq; h. e. fermè tertiâ diametri parte ab Auſtro, ut docet calculus & pictura Büntingi. Hanc Eclipſin ipſe Cæſar prædixit. Cum enim prævideret eam natali ſuo futuram, veritus ne tumultus concitaretur, ſcripſit aliquanto tempore antè, non ſolùm defectionem fore, ſed etiam tempus & quantitatem ejus expreſſit, additis inſuper cauſſis, propter quas id eſſet neceſſariò eventurum. Hunc Solis defectum ſtatim

tim ſequuta eſt fames per totum orbem ab Agabo Prophetâ prædicta, quæ duravit uſq; ad ſeptimum annum Claudij, *Act. 11.* Tanta fuit iſta fames, ut annona tunc octies ſuperaverit precium uſitatum: Quantum enim frumenti aliàs veniit duobus groſſis & tribus nummis Miſnicis, tunc venijt octodecim groſſis.

A. C. 59. ultimo die Aprilis ſeu prid. Cal. Maij, inter 7. & 8. diei horam, Sol defecit digitis 10. ſcrup. 35. ut demonſtrat calculus & pictura Büntingi. *Meminit hujus Eclipſis Plinius lib. 2. cap. 72. & Tacitus lib. 14. Dion Nicæus ſcribit,* hunc Solis defectum contigiſſe in medijs ſacrificijs, quæ ex Senatus decreto Agrippinæ cauſſâ fiebant; & fuiſſe hanc Eclipſin tantam, vt ſtellæ etiam interdiu viderentur. Cæterùm quæ mala per hunc Solis defectum, & Cometen paulò poſt effulgentem, ſignificata ſint, legi poſſunt *apud Tacitum, Dionem, Ioſephum, Suetonium, Euſebium & alios iſtorum temporum ſcriptores.* Nero præter matrem paulò antè occiſam, amitam quoq; ſuam Domitiam ve-

neno ſuſtulit. Domitius Afer clarus orator in cœnâ abundantiâ vini periit. Fulmen in menſam Neronis incidens, dapes menſamq; disjecit. Nero incidit in adverſam valetudinem, ita ut multi de ejus ſalute deſperarent. Laodicæa illuſtris Aſiæ urbs terræ motu collapſa eſt. Exarſerunt duo horribilia bella, Parthicum & Britannicum. Domitius Corbulus Dux Romanorum hoſtili exercitu totam Armeniam ſubegit, & urbem Tigrano certam pacem petere coëgit. Iudæa quoque continuis cædibus & rapinis fuit divexata. Feſtus Iudææ præſes, qui paulò antè D. Apoſtolum Paulum captivum Romam miſerat, crudeli morte interijt. Paulus in cuſtodiâ Romæ Evangelium de Chriſto docuit. Iacobus Iuſtus frater Domini, primus Hieroſolymorum Epiſcopus de pinnâ templi præcipitatus, lapidibus obruitur.

A. C. 237. die 12. Aprilis, horribilis Eclipſis facta eſt, quâ in Germaniâ totus Sol, Romæ verò digitis 10. ſcrup. 46. defecit, ut demonſtrat calculus & pictura

Bün-

Büntingi. Eodem tempore M. Antonius Gordianus junior imperare cœpit anno ætatis 14. præfuitq́; annis plus minus ſex: & haud dubium indicium non diu Imperaturi Gordiani fuit horribilis hæc Solis defectio, quæ, *teſte Iulio Capitolino*, tanta fuit, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quicquam agi poſſet. Secutus eſt hunc Solis defectum terræ motus, quo magnæ urbes corruerunt, & multi homines oppreſſi ſunt. Pauló pòſt contigit factio in Africâ contra Gordianum Imp. ſuſcepta & exarſit de integro bellum Perſicum in oriente. Ex quibus facilè potuit colligi, quid Eclipſis hæc ſignificarit.

A.C. 347. die 20. Octobris, undecimo anno Conſtantij Imp. Sol defecit digitis 7. ſcrup. 11. ultra dimidiam diametri ſui partem; Ut oſtendit calculus & pictura Büntingi. Conſpectus eſt hic Solis defectus dimidiâ horâ ante Solis occaſum. Eodem hoc anno Conſtantius à Sapore Perſarum Rege victus amiſit Singaram, Bizabdam & Amidam florentiſſi-

mas urbes. Paulò pòſt Niſibis etiam à Sapore fuit obſeſſa, ſed beatorum Angelorum defenſione liberata periculum evaſit. Secuta etiam ſunt bella civilia poſt cædem Conſtantis inter Magnentium & Conſtantium, *de quibus legatur Pomp. Lætus, Socrates lib. 2. c. 20. Sozomenus lib. 4. c. 6. Theodoretus lib. 2. cap. 30.*

A. C. 350. Sol defecit, abſq; dubio denuncians ſequuturam cladem, quam Romani à Perſis acceperunt. *Hieronymus in Chronico, & inde hiſtor. Eccl. centur. 4. cap. 13.*

A. C. 360. die 28. Auguſti Sol defecit digitis 11. ſcrup. 13. ut oſtendit calculus & pictura Büntingi. A primo Auroræ exortu uſq; ad meridiem intermicabant jugiter ſtellæ, *teſte Ammiano Marcell. lib. 20.* Horribilem hunc Solis defectum ſecuta ſunt maxima mala, præcipuè tria memorabilia bella, Perſicum, Civile & Germanicum. Saporem Perſarum Regem, qui Orientem infeſtabat, Conſtantius Imp. in Perſiam repulit. Iulianus Apoſtata arma ſumpſit adverſus Conſtantium,

unde

unde exarſit bellum civile. Vadomarius Alemannorum & Germanorum Rex oppoſuit ſeſe Iuliano, inſidiis autem captus & in Hiſpaniam abductus eſt. Conſtantius febri correptus moritur, & ſucceſſorem habuit crudeliſſ. tyrannum Iulianum Apoſtatam, qui deditus magicis artibus divinationum cauſsâ humanas hoſtias mactavit: edidit edicta de perſequendis Chriſtianis: Idolorum templa aperiri juſſit: Iudæos hortatus eſt ad reſtaurandam politiã & templum Hieroſolymitanum, ſed ædificationem templi inceptam intervertit Deus, nam horribili terræ motu & fulminibus opus totum funditùs fuit diſiectum, & multa Iudæorum millia ruinis ſunt oppreſſa. *Nicephorus hiſtor. Eccleſ. lib. 10. cap. 32. Ruffinus lib. 1. cap. 38. Sozomenus lib. 5. c. 21.*

A. C. 379. cœpit imperare Theodoſius: ſub illo ante paucos menſes in Pentecoſte tanta fuit Eclipſis, ut totus mundus jam jamq; venturum Iudicem formidaret. *Eccleſ. hiſtoria cent. 4. cap. 13. ex Hieronymo.*

A. C. 404. h. e. 10. Honorij Imp. Solis Eclipſis tanta fuit, ut ſtellæ medio etiam die conſpectæ ſint, *ut refert hiſtoria Eccl. cent. 5. c. 13. ex Nicephoro.*

Sequenti anno Gothi duobus exercitibus Italiam hoſtiliter invaſerunt. *Tripart. hiſtoria.*

A. C. 476. Hunerichus Vandalis in Africâ præeſſe cœpit. Sub illo fuit perſecutio Chriſtianorum, quâ triſtis & tetra apparuit Solis imago, ita ut ejus vix tertia pars eluceret, ſine dubio ob effuſionem ſanguinis innocentis Chriſtianorum. *Turonenſis lib. 2. c. 3. Hiſt. Eccleſ. Cent. 5. c. 13.*

A. C. 527. cœpit Imperator eſſe Iuſtinianus. Sub ipſo Sol ita obſcuratus & obtenebratus eſt, ut nec quarta pars in eo lucens remaneret. *Hiſt. Eccleſ. cent. 6. cap. 13.*

A. C. 592. anno 9. Mauricij Imp. in initio veris, die 19. Martij poſt horam nonam matutinam Sol obſcuratus eſt digitis 10. ſcrup. 26. ut demonſtrat calculus & pictura Büntingi. Hunc horribilem

So-

Solis defectum ſecutum eſt horribile bellum Avaricum, quod per annos aliquot continuos duravit, *Annalibus Conſtantinopolitanis teſtantibus. Secundum eoſdem lib.* 17. paulò poſt hanc Eclipſin natus eſt puer abſq; oculis & palpebris: brachia quidem habuit, ſed manus defuerunt: A parte inferiore fuit piſcis. Mauricius Imp. occidi juſſit.

A. C. 615. facta eſt Solis Eclipſis, quam in Autumno ſecuta eſt magna peſtilentia, *ut annotat Chronicon Saxonicum.* Illius autor addit, in multis urbibus viſum fuiſſe Angelum cum malo genio circumeuntem noctu: malum genium geſtaſſe fuſtem, & quot vicibus Angelo mandante ædium fores pulſarit, totidem poſteà ex ædibus elata fuiſſe funera. Anno ſequenti hanc Eclipſin cruento bello dimicarunt Theodoricus Rex Franciæ & frater Dietvverdus, qui victus Coloniam confugit: cumq; ibi à fratre obſideretur, à ſuis eſt occiſus, & caput præciſum ex muro fratri eſt oſtenſum. *Spangenberg. Chron. Saxon. cap. 65.*

A. C.

A.C. 664. die 1. Maij horis poſt meridiem 4. ſcrup. 17. Sol defecit digitis 11. ſcrup. 48. ut apparet ex calculo & picturâ Büntingi. *Hanc Eclipſin ſe vidiſſe teſtatur Venerabilis Beda de temporum ratione, & Anglicæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 27.* Poſt horribilem hunc Solis defectum Saraceni aliquoties infeſto exercitu fines Romanorum ingreſſi ſunt. De effectu hujus Eclipſis legantur, *quæ habet Hiſtoria Eccleſiaſtica cent. 7. cap. 13.*

A. C. 682. 5. Non. Maij, hora diei 10. Solis Eclipſis facta eſt. Regino in Chronico. Sequuta eſt graviſſima peſtis ad tres menſes Romæ & Ticini. *Hiſt. Eccl. cent. 7. cap. 13. Gobelinus Perſona AEtate 6. cap. 34.*

A.C. 695. h. e. Iuſtiniani Imp. 9. horâ diei 3. Sol obſcuratus adeò eſt, ut ſtellæ in cœlo conſpicerentur. *Paulus Diac. lib. 19. rerum Rom. Hiſt. Eccleſ. cent. 7. cap. 13.*

A.C. 733. Solis Eclipſis accidit ſecundum Chronicon Quedlinburgenſe. Hiſt. Eccleſ. cent. 8. cap. 13.

An. ſequenti Carolus Martellus in Friſios bellū movit, & Poppone Duce occiſo,

ſo, gentilem idolomaniam apud ipſos ſuſtulit. *Spangenb. ex Aemylio & Meiero.*

A. C. 760. die 15. Auguſti horâ 10. facta eſt Eclipſis Solis, quâ Sol defecit digitis ſex ſcrup. viginti tribus, h. e. ultra dimidiam diametri ſui partem, ut videre eſt ex calculo & picturâ Büntingi. Hujus Eclipſis mentionem faciunt *Annales Conſtantinopolitani lib. 22.* Secuta ſunt bella & ſeditiones in Africâ. Caſſiotæ in Perſiâ ſeditionem concitarunt, multi ſunt occiſi, multi patibulo affixi.

A. C. 764. 4. die Iunij, horâ 6. diei, Sol defecit digitis 7. ſcrup. 15. ut demonſtratur calculo & picturâ Büntingi. Meminit hujus Eclipſis Annonius lib. 4. cap. 66. Eodem hoc anno Eclipſin ſequuta eſt magna ſiccitas, ut etiam fontes exſiccarentur. Rex Francorum Pipinus Comitia habuit VVormatiæ propter defectionem Taſſilonis Ducis Bavariæ. *Spang. Chron. Sax. cap. 72.* Anno ſequenti Turci egreſſi ſunt ad Caſpias portas, ubi acerrimum prælium factum eſt inter Turcos & Ara-

Arabes, in quo ab utraque parte multi ſunt occiſi. *Annal. Conſtant. lib. 22.*

A.C. 778. menſe Ianuario factæ ſunt duæ magnæ Eclipſes, altera in Lunâ, & altera triduo poſt in Sole. Et paulò pòſt Stella Mercurij in medio Solis velut nigrum punctum apparuit. Sabellicus Ennead. 8. lib. 8. *Hiſtor. Eccleſ. cent. 8. cap. 13.* *Sabellicus* addit: Hæc prodigia Francorum in Hiſpanijs funeſtam victoriam ſignificaſſe videri. Carolus Magnus cum hoſtili exercitu Hiſpaniam ingreſſus Saracenorum Ducem prælio ſuperavit, & totam citeriorem Hiſpaniam recepit. Paulò pòſt copiæ Francorum à Saracenis circumventæ magnam acceperunt cladem, in quâ Rolandus Caroli M. ex ſorore nepos ſiti extinctus eſt ultimo die Maij, quo Manſurium ſummum Saracenici exercitus Ducem ſuâ manu jugulaverat. Sequenti anno Carolus M. Tuitij habitis comitiis expeditionem ſuſcepit contra Saxones, illiſque ad Bucholtzum fuſis Viſurgim verſus progreſſus eſt. Fuit etiam hujus

jus anni annonæ magna penuria. *Spangenbergius Chron. Saxon. c. 74.*

A. C. 786. 15. Cal. Octobr. horâ 2. Eclipſis facta eſt in Sole. *Hermannus & Chronicon Quedlinburgenſe, ut refert Hiſt. Eccl. cent. 8. c. 13.*

A. C. 787. die 16. Septembr. die Dominico ſcrupulis 25. poſt horam 9. matutinam, Sol defecit digitis 11. ſcrup. 37. ut apparet ex calculo & picturâ Büntingi. Hunc ſolis defectum ſequutum eſt bellum Bavaricum, quo Carolus M. Taſſilonem ultimum Baiorum Regem, generum Deſiderij Longobardorum Regis cepit, & regno mulctatum cum filio Dedone Laureaſo Monaſterio incluſit. *Cranzius Saxon. lib. 2. cap. 5.* Pantaleon ſcribit, in monumento ejus hos verſus inſcriptos legi.

*Taſſilo Dux primùm, pòſt Rex, Monachus ſed ad imum,*
*Conditur hac foveâ, quem pie Chriſte bea.*

A. C. 801. Sol defecit, & multa prodigiosè facta ſunt in cœlo, *ut eſt in Chronico Saxonico.* Carolus Magnus ſalutatus

eſt

eſt Romanorum Imperator. Contra ipſum conſpiraverunt Rex Daniæ & Saxones. Mira fuit aëris conſtitutio, æſtas fuit frigida, hyems humida & calida. Peſtilentiæ malum circa autumnum multos homines abſtulit. Interiit etiam pecus, utpote equi, boves, capellæ. *Spangenb. Chron. Saxon. c. 85.*

A.C. 805. 3. Id. Februarij hora 6. fuit Eclipſis Solis. Hiſt. Eccleſ. cent. 9. cap. 3. Eodem anno Caroli M. Imp. filius ὁμώνυμος cum exercitu Bohemiam ingreſſus, Lecho Bohemorum Duce interfecto, Slavos & Vandalos Romano Imperio obtemperare coëgit. *Spang. Chron. Saxonici cap. 88.*

A.C. 807. 11. die Febr. in meridie Sol defecit digitis 7. ſcrup. 10. ut demonſtrat calculus & pictura Büntingi. Hoc anno peſtilentiæ malum multos homines in Franconiâ, Buchoniâ, Thuringiâ & ad Hercyniam abſtulit. *Spangenb. Chron. Saxon. c. 88.* VVedekindus M. Dux Saxoniæ occubuit in prælio adverſus Geroldum Ducem Sueviæ. *Crantz. Sax. lib. 2. c. 24.*

A.C.

A. C. 810. 7. Idus Iunij fuit Eclipſis Solis. *Regino.* Mortuus eſt 8. Idus Iulij Pipinus Caroli M. f. Rex Italiæ.

A. C. 810. ultimo die Novembris totus Sol eſt obſcuratus poſt horam duodecimam meridianam ſcrupulis 32. Calculum & picturam ejus exhibet Büntingus. Horribilis hic Solis defectus & ſequens Lunæ Eclipſis portenderunt interitum Nicephori crudeliſſimi Imperatoris in oriente, qui à Bulgaris paulò antè à ſe victis, improviſo noctis aſſultu cum toto exercitu oppreſſus, & ad internecionem cæſus eſt. Crunnus Bulgarorum princeps Cranio ejus deargentato in convivijs pro poculo uſus eſt. Filius eius ob corporis deformitatem & ingenij ſtoliditatem monaſterio incluſus eſt. *Zon. Annal. Tom. III. in Nicephoro.*

A. C. 812. die 14. Maji poſt horam 12. pomer. ſcrupulis 26. Sol defecit digitis 7. ſcrup. 57. *Regino. Annonius lib. 4. cap. 105. Annal. Conſtant. lib. 24.* Calculum & picturam hujus defectus exhibet Büntingus. Michael Imp. Conſtantin. eduxit exerci-

tum in Bulgariam, ſed rebus minùs feliciter geſtis Conſtantinopolin reverſus eſt. Thebidus Dux Arabum adverſus Chriſtianos Orientales aciē dirigens à Leone memorabili pugnâ victus amiſit duo millia Arabum. Crunnus Bulgarorum Dux Meſembriam menſe Novembri expugnavit. In Palæſtinâ hoc tempore multa homicidia, rapinę, adulteria à Saracenis ſunt commiſſa. Sepulcrum B. virginis, templum Reſurrectionis CHRISTI, mons Calvariæ & alia loca ſancta urbis Hieroſolymæ ſunt profanata. *Annal. Conſtant. lib. 24.*

A. C. 813. die 4. Maji poſt horam 4. matutinam ſcrupul. 29. die 355. poſt Eclipſin Solis præcedentem, Sol defecit digitis 10. ſcrup. 19. ut demonſtrat calculus & pictura Büntingi. Secutum eſt eodem menſe atrox prælium, quò Crunnus Bulgarorum Dux vicit Michaëlem Imp. & omni dignitate exuit. Michaël paulò pòſt ſe imperio abdicavit monaſteriū ingreſſus. Menſibus 8. & diebus 24. poſt hanc Eclipſin diem ſuum obijt Carolus Magnus

gnus Imperator occidentis. *Büntingus in Chronologiâ.*

Anno altero, quo Carolus M. obijt, (obijt autem A. C. 814. die 28. Ian.) Sol obſcuratus eſt, & Luna pallorem recepit, terræ motus accidit, Cometa exarſit, & alia dira prodigia conſpecta & audita ſunt in terris. *Eginardus in vitâ ejus. Referente etiam Hiſt. Eccl. cent. 9. cap. 13. Spangenbergius ſcribit* A. C. 814. & Solis & Lunæ factas eſſe Eclipſes. *Chron. Saxon. c. 90.*

A. C. 818. Nonis Iulij circa horam 9. matutinam Sol defecit in dodecatemorio Cancri. *Annonius lib. 4. c. 106. Büntingus.* Bernhardus Caroli Magni Nepos Rex Italiæ oppoſuerat ſeſe Ludovico Imper. patruo, captus igitur & in Comitijs Aquiſgrani hoc anno habitis damnatus, oculis effoſſis in monaſterium incluſus eſt. Incentores ejus vitâ ſunt privati. *Spangenberg. Chron. Sax. cap. 92.* Eodem autore, hoc ipſo anno vitam cum morte commutavit Irmgardis uxor Ludovici Imperatoris. Sequenti anno peſtis & fames ex humidis tempeſtatibus ortæ per to-

tum annum orbem terrarum adflixerunt. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 840. die 5. Maji horâ 2. poſt meridiē in Sole defecerunt 10. digiti non procul à caudâ Draconis in dodecatemorio Tauri. *Annonius lib. 5. cap. 19. Marianus. Büntingus.* Eodem anno 12. Cal. Iulij, obijt Ludovicus pius Imp. cui ſucceſſit Lotharius. Anno ſequenti Lotharius Imp. à Ludovico & Carolo fratribus ad Fontanedum in Galliâ Lugdunenſi victus eſt acerrimo prælio, centenis hominum millibus cæſis. Eâ pugnâ admodum attrita eſt Franciæ potentia, ut ex eo pœnè conciderit. *Regino.*

A. C. 842. Sol Eclipſin paſſus eſt. *Eccleſ. hiſtor. centur. 9. cap. 13. ex Reginone.* Hoc anno Lotharius Imperator à Ludovico & Carolo fratribus victus & fugatus eſt.

A. C. 878. die 29. Octobris horâ tertiâ poſt meridiem magna fuit Solis defectio. *Regino, Marianus, Büntingus.* Defecit Sol ad 10. digitos, circa 10. gradum Scorpij, haud procul à capite draconis. Hunc Solis defectum, ſicut etiam Eclipſin

pſin Lunæ eodem anno & menſe factam ſequuta eſt mors Ludovici Balbi Imp. & Carolomanni ejus patrui, Regis Italiæ. Normanni Hamburgū & Saxoniam depopulati ſunt: Illis cū ſeſe opponerent Bruno & Tanquardus Saxoniæ Duces cum 12. comitibus, totidemq; Epiſcopis, in Ducatu Lunæburgenſi prope Ebbecſtorpium cæſi ſunt. Hanc cladem *Crantzius* A.C. 876. *VVidekind.* verò 880. accidiſſe ſcribūt.

A.C. 880. horâ diei 9. Sol obſcuratur adeò, ut ſtellę in cœlo apparerent. *Hiſt. Eccl. cent. 9. c. 13. ex Sigeb.* Sequenti anno Dani & Normañi Galliā hoſtili manu invaſerunt.

A.C. 888. die 28. Octobr. circa horam 9. obſcuratus eſt Sol. *Hiſt. Eccl. cent. 9. c. 13. ex Reginone.* Sequenti anno Saxones & Cheruſci infeliciter pugnaverunt cum Vandalis ad Albim. *Spang. Chron. Sax. cap. 112.*

A.C. 891. die 8. Auguſti, horâ unâ ante meridiem, Sol defecit digitis 8. ſcrup. 42. ſeu duabus tertijs diametri, ut oſtendit calculus & pictura Büntingi. Eum Solis defectum ſequuta ſunt varia bella, cum Imperatores & Reges Italiæ mutuis

 armis

armis concurrentes aliquot annis miſerè confligerentur. *Büntingus.* Ipſo Eclipſis anno Normanni in Gallias irruptionem fecerunt, & duodecim hominum millia amiſerunt. Iidem ſtatim ex Daniâ, Sueciâ, Norvegiâ & Gotlandiâ centies mille hominibus collectis Brabantiam petierunt, & juxta Lovaniam caſtra poſuerunt. Contra illos ſatis magnum exercitum miſit Arnolphus Imperator, qui die 25. Iunij, cum Sunderholdo Archiepiſcopo Moguntino cæſus eſt. Igitur Imperator copijs quàm potuit maximis contractis ipſemet contra Normannos progreſſus, ipſo die S. Michëlis ex iis 90. millia cecidit, cum duobus ipſorum Regibus. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 92.*

A. C. 937. Sol ſereno cœlo obſcuratus & quaſi ſanguineus factus eſt, adeò ut ipſi etiam radii ſolares per feneſtras tranſmiſſi, eundem colorem præ ſe ferrent. *Sigebertus & Bergomenſis. Refert Balæus*, viſum eſſe ſanguinem per aliquot dies ex Sole quaſi effluere. Subſequuta eſt magna peſtilentiæ ſævitia, ac maximè ſubita-

nei

nei hominum interitus. *Hiſt. Eccl.cent.10. cap. 13.*

A. C. 944. horâ diei tertiâ Sol horribilem Eclipſin paſſa eſt. *Hiſt.Eccl.cent.10. cap.13.*

A. C. 961. die 17. Maji, facta eſt Solis Eclipſis, quâ Lutetiæ Pariſiorum totus Sol fermè defecit in fine Tauri. *Regino. Büntingus.* Hanc Eclipſin ſequuta eſt Expeditio Italica. Sequenti enim anno ineunte Otto Magnus die natali Domini coronatus eſt Romæ, occupatâ priùs Papiâ, & Beringero Rege cum uxore & filijs in ſummas anguſtias redactis. *Spangenbergius Chron.Saxon.c.141.*

A.C.968. die 23. Decembris horâ tertiâ ab exortu Solis, Conſtantinopoli factum eſt Solis deliquium, quo Sol defecit in principio Capricorni ultra decem digitos à parte Boreali. *Cedrenus. Büntingus.* Hoc anno Græci in Calabriâ ab Ottone victi tributarij facti ſunt. Secuta eſt etiam Eclipſin fames maxima, quo tempore Hatto Epiſcopus Moguntinus cives ac ſubditos ſuos in horreum incluſit, eosq;

mures appellans igni extinxit. Sed paulò pòſt à muribus roſus & devoratus meritas ſuæ tyrannidis pœnas perſolvit. *Büntingus. Hiſt.Eccl.cent.10.cap.13.*

A.C. 990. 12. Calend. Novembr. horâ diei 5. Sol paſſus eſt deliquium. *Chron. Quedlinburgenſe.* Non diu pòſt obiit Quedlinburgi Theophania uxor Ottonis II. Imp. mater Ottonis III.

A. C. 1009. Solis Eclipſis fuit. *Hiſt. Eccleſiaſtica cent. 11. cap. 13. ex Sigeberto.* Eodem anno bellum grave fuit inter Henricum II. Imp. & Henricum Ducem Bavariæ fratrem S. Cunegundis conjugis Imperatoris, *de quo eſt in Spangenb. Chron. Saxon. cap. 162.* Sequenti anno obijt diem ſuum Benno Dux Saxoniæ & Lunæburgi f. Hermanni Bilingi.

A. C. 1023. In paſchate Sol Eclipſin paſſus eſt. *Hiſt. Eccl. cent. 11. cap. 13. ex Sigeberto.* Anno ſequenti, die 13. Iulij diem ſuum obiit Groningæ Henricus II. ſeu Sanctus Imp. Corpus ejus ex Saxoniâ Pabebergam tranſlatum & magnificè ſepultum eſt.

A. C. 1033. die 26. Iunij circa meridiem totus Sol defecit in dodecatemorio Cancri, non procul á capite draconis. *Marcus Fritſchius in prodigiis. Sigebertus. Büntingus.* Sequenti anno 15. Aprilis obiit Romanus Argyropolus Imperator Conſtantinopolitanus.

A. C. 1039. menſe Auguſto fuit Eclipſis Solis, & paulò pòſt Conradus Imp. in vivis eſſe deſiit. *Sigebertus.*

A. C. 1093. die 23. Septembris poſt horam 12. meridianam ſcrup. 5. in Sole defecerunt digiti 9. ſcrup. 45. *Trithemius. Meyerus. Büntingus*, apud quem extat calculus & pictura hujus Eclipſis. Poſt hanc Eclipſin ſecuta eſt horribilis peſtilentia, quæ integro biennio orbem terrarum miſerè adflixit. *Iohannes Stumpſius in vitâ Henrici IV. Imperatoris.* Subſequuta eſt etiam paulò pòſt expeditio in terram Sanctam, incepta per Petrum Eremitam.

A. C. 1098. multa prodigia paſſim viſa ſunt in cœlo, Sol & Luna defecit, hyems fuit humida, quam ſecuta eſt magna annonæ caritas, & peſtilentia quibuſdam

in locis pernicioſa. Hoc anno Conradus filius Henrici IV. Imp. cum Pont. Romano contra patrem conſpiravit, & ſe pro Rege Italiæ geſſit. Ergò pater ipſum initio ſequentis anni in Comitiis Colonienſibus privavit jure & ſpe ſucceſſionis in Imperio, altero filio Henrico V. deſignato & coronato. *Spangenberg. Chron. Saxon. cap. 208.* Eodem anno 1099. Urbs Hieroſolyma à Chriſtianis capta eſt, ejuſq; principatus delatus eſt Godefrido Bulionæo, belli iſtius ſacri Imperatori. *Chronicon Hieroſolymitanum lib. 6. c. 33.*

A. C. 1124. 11. die Auguſti unâ horâ poſt meridiem defecit in Sole quarta fermè diametri pars à ſeptentrione, in dodecatemorio Leonis juxta caput draconis. *Büntingus.* Sequenti anno magna fuit annonæ caritas; graſſatum eſt peſtilentiæ malum; Henricus V. Rom. Imp. 23. Maji diem ſuum obiit.

A. C. 1133. die 2. Auguſti horâ diei ſeptimâ in meridie facta eſt Solis Eclipſis maxima: totus enim Sol defecit in dodecatemorio Leonis, non procul à caudâ

dra-

draconis. *Büntingus.* Tanta fuit hæc Solis defectio, ut ſtellæ in cœlo manifeſtè conſpici potuerint. Per integrum menſem ſequentem mira & inconſtans fuit aëris conſtitutio. Sequenti anno Lotharius Imp. Comitia habuit Halberſtadij. *Chron.Saxon.c.218.*

A. C. 1135. Prodigia varia viſa ſunt, quæ Henrici I. Regis Anglorum mortem denunciaſſe creditum eſt. Inter hæc Eclipſis Solis & Lunæ præter modum facta eſt. *Polydorus Virg. lib. 11. Hiſtoriæ Anglicæ.*

A. C. 1140. Eclipſis Solis cum terræmotu per totam Angliam facta eſt, tanto cum horrore, ut cœleſtia defeciſſe viderentur. Portendebat verò illa obſcurationem puræ doctrinæ Chriſti. *Hiſt. Eccleſ. cent. 12. cap. 13. ex Matthæo Pariſio & Balæo.*

A. C. 1146. 8. Cal. Novembris Sol defecit ſub horam diei quintam. *Continuator Sigeberti.* Famem cum peſte incredibili ſubſequutam eſſe addit *Chronicon Hirſaugienſe. Hiſt. Eccl. cent. 12, cap. 13.*

An. Chr. 1153. 7. Calend. Febr. in Sole pro-

prodigium horribile conſpectum eſt. *Hiſtor. Eccl. ex Mariani appendice.*

A. C. 1154. Calendis Octobris Sol per integrum diem obſcuratus eſt. *Funccius in Chronologiá.* Sequuta eſt expeditio Friderici I. Imp. in Italiam.

A C. 1158. Sol ſub meridiem deliquium paſſus eſt, & fames valida eſt ſequuta. *Hiſt. Eccleſ. cent. 12. c. 13.*

A. C. 1172. Idibus Septembris circa meridiem, Sol pœnè totus eſt obſcuratus *Continuator Sigeberti.*

A. C. 1177. Idibus Septembris Sol defecit. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Vincentio.* In æſtate & Autumno tanta fuit ſiccitas, ut ſata agrorum, meſſis & fenum perierint. In Autumno inuſitata aquarum inundatio accidit, & naufragia plurima audita ſunt. *Hiſt. Eccl. ibidem.*

A. C. 1178. 3. die Septembris, facta eſt Eclipſis Solis. *Spangenberg. Chron. Saxon. cap. 229.*

A. C. 1179. Idibus Septembris Sol defecit, & ſecuta eſt hyems aſperrima. Aquę etiam exundarunt. *Polyd. Virgilius.*

A. C.

A. C. 1180. die 28. Ianuarij Sol paſſus eſt deliquium, defecit enim in noſtro climate circa occaſum horâ quartâ veſpertinâ, ad 8. digitos à parte Boreali, juxta caudam draconis, circa 10. gradum Aquarij. *Büntingus*. Hanc Eclipſin ſecuta eſt mors Emanuelis Comneni Imp. orientis. Henricus Leo Dux Saxoniæ proſcriptus eſt. Huldericus Epiſcopus Halberſtadenſis crebras excurſiones fecit in terram Brunſuicenſem: Henricus Leo coactâ ſuorum manu, miſit qui excurrentibus reſiſterent. Profligatis tandem Halberſtadenſibus civitas capitur & incenditur: Epiſcopus captivus ad Henricum Leonem Brunſuigam deducitur. Alacrior de ſuorum victoriâ Princeps, ubi audivit in expugnatione urbis templum exuſtum cum clero & populo, ingemuit. *Crantzius Sax. lib. 6. cap. 4. Spangenbergius Chron. Sax. cap. 231.*

A. C. 1181. die 13. Iulij, horâ 9. diei Sol defecit in fine Cancri ad digitos 10. ab auſtro, non procul à capite draconis. *Büntingus*. Menſe VIIbri mortuus eſt Ludovicus

Craſ-

Craſſus Rex Francorum. Bernhardo Principi Anhaltino ab Imperatore collatus fuit titulus Electoris & Ducis Saxoniæ, ſed de regione cum ipſo dimicabat Henricus Leo, qui etiam de VVeſtphaliâ decertabat cum Archiepiſcopo Colonienſi. Thuringiam Leo ingreſſus paſſim uſq; ad Haſſiam devaſtabat, Northuſâ & Mulhuſâ obſeſſis & igni injecto occupatis. In Eichsfeldiâ congreſſus cum Ludovico Landgravio multis occiſis, ipſum cum Hermanno fratre & ſexcentis viris cœpit. Anno 1182. cum magno exercitu ingreſſus Saxoniam Imperator, ſedecim arces ſatis munitas, utpote Lichtenbergam, Lavvenburgum, VVoldenburgum, Hartesburgum, Blanckenburgum &c. & vi & deditione nec non proditione etiam occupavit. Inde progreſſus ad Albim Imperator perſequutus eſt Leonem. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 232.*

A. C. 1186. Sol paſſus eſt Eclipſin, quam non ſolùm peſtis acerrima in Poloniâ & Ruſſiâ, ſed etiam hyems adeò calida ſubſequuta eſt, ut terræ fructus ſolito matu-

maturiùs provenirent. Meſſis in Majo, Vindemia in Auguſto fuit. *Hiſt. Eccl. Cent. 12. cap. 13. ex Lycoſthene.*

A. C. 1186. Sol iterùm defecit in ferijs Baptiſtæ horâ diei ſextâ. *Hiſt. Eccl. ex Funccio.*

A. C. 1187. die 4. Septembris horâ unâ poſt meridiem facta eſt Eclipſis Solis adeò magna, ut ſtellæ per diem viſæ ſint tanquam in nocte. Defecit enim Sol habitantibus in climate ſeptimo ad digitos undecim à parte Boreali, in dodecatemorio Leonis juxta caudam draconis. *Büntingus.* Hanc Eclipſin proximo ſtatim menſe ſecuta eſt everſio regni Hieroſolymitani. Hoc ipſo enim anno die 2. Octobris, Guido Rex Hieroſolymitanus captus eſt cum multis nobilibus à Saladino Sultano, & Hieroſolyma eſt amiſſa, completis annis 88. & diebus 80. ex quo à Godefrido Bulionæo capta erat. Sequenti anno die Simonis & Iudæ Henricus Leo Dux Saxoniæ expugnatam urbem Saxoniæ Bardevicum, ducentis annis Româ vetuſtiorem ſolo æquavit. *Crantzius lib. 7. c. 2.*

*7. cap. 2. Meibomius in hiſtoriâ urbis Bardevici.*

A.C. 1191. die 23. Iulij, poſt duodecimam horam meridianam 28. ſcrup. totalis Eclipſis Solis facta eſt. Defecit enim Sol digitis 11. ſcrup. 32. exiſtens in ſeptimo gradu Cancri, Luna in ſexto gradu ejuſdem, cauda verò draconis in 12. Cancri gradu exiſtebat. *Büntingus*, qui calculo & picturâ hanc Solis Eclipſin demonſtrat. Poſt hoc Solis deliquium 4. Id. Iulij à Sultano capta eſt Acra. Secutum etiam eſt bellum Henrici VI. Imperatoris contra Henricum Leonem Ducem Saxoniæ. *Crantz. Saxoniæ lib. 7. c. 3.*

A.C. 1205. ultimo Febr. circa horam 3. diei Solis Eclipſis accidit, multi ſe humanum caput in Sole vidiſſe teſtati ſunt. *Nauclerus. Trithemius* hanc Eclipſin in annum ſequenrem rejicit, *referente Hiſt. Eccleſiaſticâ cent. 13. cap. 13.*

A. C. 1206. prid. Cal. Martij Solis Eclipſis viſa eſt horâ diei quintâ. *Vincentius lib. 39. cap. 92.*

A. C. 1207. ultimo die Februarij, horâ à

râ à Solis exortu 5. h. e. in meridie, Sol defecit in 16. gradu Geminorum. Et totus quidem Sol fuit obſcuratus interventu Lunæ, in ſeptimo climate, juxta caput draconis. Retinebat tamen Sol circumferentiam albicantem eò, quòd orbis Solis orbem Lunæ aliquantulum ſuperaret. *Büntingus.* Anno ſequenti Bambergæ nefariè occiſus eſt Philippus Imp. occidentis, & Imperium, de quo dimicarunt hactenùs, reliquit Ottoni IV. Domino Brunſuici, Henrici Leonis filio. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 243.* Ubi etiam A. C. 1208. Solis Eclipſin factam eſſe ſcribit ex Urſpergenſi, qui eam menſe Februario factam eſſe aſſerit.

A. C. 1216. in cœlo multa oſtenta ſunt viſa: Solis & Lunæ deliquium. *Continuator belli ſacri.*

A. C. 1228. die 6. Iunij, circa horam diei 9. uſq; ad 2. pomeridianam, Sol deliquium paſſus eſt: quo tempore tantæ extiterunt tenebræ, ut noctem eſſe crederent, & ſtellæ in cœlo apparerent. *Schedelius Ætate Mundi ſextâ.*

An. Chr. 1236. die 3. Auguſti, horâ diei quaſi 6. poſt meridiem, defecerunt in diametro Solis 8. digiti, decem partibus à capite draconis, in dodecatemorio Leonis, & obſcuratus eſt Sol interventu Lunæ à parte Boreali. *Büntingus.* Hoc anno Imperator expeditionem ſuſcepit in Moravos & Hungaros: Anno ſequenti magno cum exercitu ingreſſus eſt in Italiam, ut ſolveret confœderationes civitatum Lombardicarum. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 255.*

A. C. 1239. Sol deliquium paſſus eſt in meridie, peſtis ſubſequuta, & fames tanta, ut matres ex ſeſe natis veſcerentur. *Hiſt. Eccleſiaſt. cent. 13. c. 13.*

A. C. 1241. die 6. Octobris facta eſt magna Solis Eclipſis ab horâ ſextâ, à Solis ortu uſq; ad 9. ferè. Defecit tum Sol in librâ ad 9. digitos, non procul à caudâ draconis, obſcuratio facta eſt ab Auſtro. *Büntingus.* Circa hæc tempora bellum fuit Marchionibus Brandenburgicis cum Epiſcopis Magdeburgenſi & Halberſtadenſi, quo A. C. 1242. clauſtrum & oppidum

dum Monchenaumburgum ad Salam direptum & exuſtum fuit. *Spangenb. Chron. Saxon. cap. 256.*

A. C. 1264. die 25. Maji ante meridiem ſub horam tertiam Sol paſſus eſt deliquium. Tantæ ſub medium ejus exortæ tenebræ, ut multæ ſtellæ apparerent. *Nicephorus. Gregoras libr. 4.*

A. C. 1267. 25. die Maji, ſub horam tertiam ante meridiem, Luna Solem obſcuravit quartam Geminorum partem peragrantem. Fuit tota Eclipſis punctorum ferè duodecim. Tantę autem ſub ejus medium ortæ ſunt tenebræ, ut multæ ſtellæ apparerent. *Gregoras Rom. hiſtor. lib. 4. cap. 14. Buntingus*: ſecundum cujus calculum totus Sol fermè defecit juxta caudam draconis. *Gregoras* inquit, hunc Solis defectum maximas & pernicioſas Romanorum calamitates à Turcis impendentes portendiſſe. Anno ſequenti, die 22. Auguſti Conradinus Conradi IV. Imp. filius, poſtremus Dux Sueviæ à Carolo Siciliæ Rege in prælio captus, & paulò pòſt inſtinctu PP. ſecuri percuſſus eſt cũ Fride-

rico Auſtriæ Duce. Conradino Pontificij inſultarunt hoc Epitaphio:

*Aſturis ungue Leo pullum rapiens Aquilinum*
*Hic deplumavit, acephalumq; dedit.*

A. C. 1279. die 12. Aprilis ante occaſum Solis facta eſt Solis Eclipſis, quâ Sol totus defecit, retinens tamen circumferentiam albicantem, in ariete & capite draconis. Hoc anno obiit Albertus Magnus D. Brunſuicenſis. Magna fuit hoc anno annonæ difficultas maximè in Bohemiâ, unde magno numero homines in Miſniam & Thuringiam commearunt, quibus fame pereundum fuit. *Spangenb. Chron. Saxon. cap. 266.*

A C. 1321. magna fuit Eclipſis Solis. *Spangenberg. Chron. Saxon. c. 280.* Sequenti anno die S. Michaëlis Ludovicus Bavarus cum Friderico Auſtriaco de ſummâ Imperij concertarunt, & adverſario capto cruentam victoriam obtinuit, pugnâ enim iſtâ 5000. Equites occubuerunt, *ut annotavit Spangenbergius.*

Andronico ſeniore Imp. Orientis rerum adhuc potiente: (obijt autem ille

A.C.

A.C. 1332.) Sol obſcuratus 16. die Iulij horâ 12. ad 11. puncta in climate Byzantino, partem Cancri 24. tum permeans. Obſcurationis initium á medio Iapyge & Thraſciâ, finis ab initio ferè Subſolani fuit. Michaël Bulgarorum Deſpota Triballorum terram ferro & igni vaſtans à Crale Serviæ Principe cruentâ pugnâ ſuperatur & interficitur. *Gregoras Rom. hiſt. lib. 9. cap. 25.*

A. C. 1331. Prid. Cal. Decembris ſeu ultimo die Novembris totus Sol obſcuratus eſt in Sagittario juxta caudam Draconis, diebus 74. ante mortem Andronici ſenioris Imp. Orientis. *Büntingus. De hac Eclipſi ſic ſcribit Gregoras lib. 9. cap. ult.* Andronici Senioris Imp. obitum multa oſtenta prænuntiarunt. Primùm Eclipſis Solis tot ante diebus, quot annos ille vixerat. Hanc ſequutus eſt Lunæ defectus, eumque terræ motus eâ veſperâ, quâ D. Antonij memoria, cujus illi nomen inditum erat, veteri more à Chriſtianis celebrabatur, die Februarij 12. quem inexſpectati ejus obitus ſequutura erat veſpera.

Andronico juniore in oriente Imperante (obijt autem ille A. C. 1338.) facta eſt Scytharum irruptio in Imperium Romanum. Eam cladem Solis & Lunæ defectus intra dies 16. ſeſe conſequuti portenderunt. Lunaris porrò in primâ, ~~Lun~~aris in 15. parte piſcium contigit. *Gregoras Rom. Hiſt. lib. 11. cap. 5.*

A. C. 1339. in vigilijs S. Chiliani h. c. 7. die Iulij, circa meridiem magna facta eſt Solis Eclipſis, quæ duravit horas fermè duas. Sol totus obſcuratus eſt in Cancro juxta caudam draconis. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 1 58. in initio Maji facta eſt Eclipſis Solis, quam ſequuta eſt peſtis & terræ motus, quo multæ urbes & caſtella ad Rhenum cum Baſileâ enormiter ſunt læſa. *Chronicon Saxon. Munſterus hunc terræ motum adſignat. A. C. 1356.* Huius Eclipſis anno peſtis in Miſniâ valdè graſſata eſt. Exortum eſt grave diſſidium inter Landgravios Thuringiæ & Comites Schvvartzburgicos, quod tamen ſine bello compoſitum eſt. *Spangenb. Chron. Saxon. c. 289.*

A. C.

A. C. 1361. Tantus fuit Solis defectus, ut ſtellæ in cœlo interdiu videri potuerint. Hoc anno in aulâ Turcicâ cœperunt fieri Ianitſchari ex captivis Chriſtianonorum liberis. *Chron. Saxon.*

A. C. 1376. die 17. Iulij ante meridiem facta eſt Eclipſis Solis in 3. gradu Leonis. *Leovitius.* Defecit Sol in Europâ à parte Boreali ad digitos 7. in caudâ Draconis. *Büntingus.* Hoc anno ingens mutatio in regno Siciliæ contigit: Otto enim Dux Brunſuicenſis Grubenhagius duxit uxorem Iohannam Reginam Siciliæ & Neapolis, atq; inde Rex Siciliæ factus eſt. Inde novi belli materia extitit. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 1384. 17. die Auguſti tetra fuit Eclipſis Solis in 3. gradu Virginis. *Leovitius in magnis Coniunctionibus.* Defecerunt in Sole 8. digiti, juxta caput draconis. Sequenti anno Dux Saxoniæ & Lunæburgi oppugnavit militares de Mandeſlo, multa terris incommoda invehentes, cumq; Dux urgeret oppugnationem arcis Richlingæ, bombardâ ictus crus amiſit, & pau-

lò pòſt exſpiravit. Eodem anno militares de Schvvichelde & Steinberge Bernhardum Ducem Brunſuicenſem, Magni Catenati filiũ, acie victum ceperunt, qui deinde 7000. aureis ſe liberavit. *Chr. Saxon.* Hoc ipſo Eclipſis anno Iudæi inter ſeſe ludos equeſtres (tor*ni*amenta vocant) VVeiſſenfelſij celebrarunt. Inde autem domum ſuam redeuntes Clauſius à Trotâ & Colerus à Croſick excuſſerunt, & magnâ pecuniæ ſummâ ſpoliarunt. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 298.*

A. C. 1387. Nonis Decembris, eo ipſo die, quo Carolus III. Hungariæ Rex in Albâ Regali coronatus eſt, tantus Solis defectus apparuit, ut nunquam noſtro ſeculo major extiterit: quod eum ad breve tempus regnaturum portendit. Nam Idibus Februarij proximè inſequutis ex factione Mariæ Ludovici I. filiæ Regni hæredis, eiuſq; matris Eliſabethæ, in arce Budenſi plurib. vulneribus confoſſus eſt, & in Viſigradum tranſvectus 27. die veneno confectus eſt. *Bonfinius lib. 9. Dec. 2.*

A. C.

A. C. 1388. VVenceſlaus Dux Saxoniæ in oppugnatione Cellæ occubuit.

A. C. 1406. die 16. Iunij, qui diem Viti proximè ſequitur, Sol defecit ultra 9. digitos in Principio Cancri, juxta caput draconis. *Büntingus. Gobelinus Perſona Aetate 6. capite 88.* Tenebræ adeò fuerunt denſæ, ut homines ſeſe internoſcere non potuerint. *Chronic. Saxonic.* Henricus Dux Lunæburgenſis hoc anno die S. Iacobi ingreſſus Comitatum Lippienſem omnia ferro & igni vaſtavit, quòd biennio antè in prælio captus eſſet à Bernhardo Nobili Domino de Lippiâ. *Chron. Saxon.* Paulò poſt hanc Eclipſin Albertus Comes Cotenſis invaſit Archiepiſcopen Magdeburgenſem contra inducias factas, & quidem duobus in locis: Sed utroq; in loco pro merito exceptus eſt, & ex ſuis multos amiſit, qui vel cæſi vel capti fuerunt. Theodoricus Comes Honſteinenſis infeſtus fuit monaſterio VValkenredenſi. Abbas ap. Imperium obtinuit mandatum, quo vicinis Urbibus & Comitibus injungebatur, ut Comiti bellum in-

ferrent. Heringia ergò oppidum & arx ejus in Aureo arvo hoc Eclipſis anno eſt obſeſſa, ipſo die Aſſumptionis B. Virginis. Quâ obſidione factum eſt, ut Comes Theodoricus deinde gravius preſſerit VValkenredenſes, villis eorum incenſis & miſerè vaſtatis. *Spangenberg. Chron. Saxon. cap. 305.*

A. C. 1409. die 15. Aprilis in Europâ totus fermè Sol* defecit in Tauro juxta caput draconis. *Leovitius. Büntingus.* Nocte poſt ferias S. Bartholomæi circa Magdeburgum circiter ſex milliaribus magnus fuit terræ motus. Anno ſequenti 20. Septembris diem ſuum obiit Rupertus Rom. Imperator. Eodem anno die diviſionis Apoſtolorum facta eſt cruenta pugna ad Tannenbergum in Boruſſiâ, inter Teutonicum Ordinem & Regem Poloniæ. Ex Ordinis parte occubuerunt ipſe ſum̃us Ordinis Magiſter, Commendator maior, Marſchallus, Hoſpitalarius ſupremus, aliquot Commendatores, ſexcenti Ordinis fratres & prætereà quadragies mille milites gregarij. Poloni quidem

dem obtinuerunt victoriam, ſed ex illis duplo maior turba occubuit. Rex Poloniæ enim habebat exercitum ſatis magnum collectum ex Polonis, Lithuanis, Germanis, Tartaris, Hungaris & Bohemis, qui triplo ſuperabat numerum exercitus Ordinis. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 305. Caſparus Schütz, hiſtoriæ rerum Pruſſicarum in XXIII. Ordinis Magiſtro.*

A. C. 1414. quo Synodus Conſtantienſis habita eſt, accepimus, Solem adeò obſcuratum fuiſſe in ipsâ pompâ, quâ panis geſtari ſolebat, ut aves in terram deciderent, ſubitâ caligine tanquam nocturnâ perterrefactæ. *Victorinus Strigelius in explicatione Evangelij Dom. 2. Adventus.* Fortè hæc Eclipſis eadem eſt cum ſequenti, ut error ſit in anni numero.

A. C. 1415. die 7. Iunij, poſt horam octavam matutinam totus Sol fuit obſcuratus, cum eodem tempore celebraretur Concilium Conſtantienſe. *Leovitius & Buntingus*, qui hujus Eclipſis calculum & picturam exhibet. Primo menſe poſt hanc Eclipſin, die 8. Julij, M. Iohannes Huſs

Huſs Bohemus in Concilio Conſtantienſi pronunciatus eſt hæretic⁹, rituq; ſingulari exutus dignitate ſacerdotali, & traditus magiſtratui civili damnatur ad ſuppliciũ ignis. Eductus ad locum ſupplicij geſtavit mitram chartaceam, in quâ picti fuerunt duo Cacodæmones, cum inſcriptione, Hæreſiarcha. Inter eundum has voces ſubinde ingeminavit: *Ieſu Chriſte*, fili Dei vivi, qui paſſus es pro nobis, miſerere mei. Tandem rogo impoſitus evincente flammâ eandem precationem aliquoties altâ voce repetivit, ſuppliciumq; fortiter perferens in verâ filij Dei invocatione exſpiravit. Ante mortem vatidico Spiritu prædixit inclinationem regni Pontificij. Anſerem inquit jam aſſatis, Huſs enim linguâ Bohemicâ Anſerem ſignificat,) ſed veniet olor, quem non eſtis exuſturi. His & hæc verba adjecit: Poſt centum annos mihi & Deo reſpondebitis. Hæc verba Bohemi in margine monetæ cujuſdam imagine Huſſi ſignatæ expreſſerunt. Vaticinij veritatem eventus comprobavit. Inter enim finem Synodi Con-

Conſtantienſis & initia diſputationum D. Martini Lutheri centum anni interceſſerunt.

Tertio deinde menſe poſt eandem hanc totalem Eclipſin, die 9. Septembris crematus eſt Hieronymus Pragenſis, vir eruditione excellens, Huſſi diſcipulus, qui cum traheretur ad ſupplicium, altâ voce cecinit Litaniam, & in flammâ verba Symboli Nicæni. Sicut igitur Sol in cœlo, ita quoq; lux Evangelii in Synodo Conſtantienſi obſcurata eſt. Sed ſequutæ ſunt paulò pòſt variæ ſeditiones & bella per univerſam Europam. *Büntingus in Chronologiâ.*

Ad vaticinium Huſſi pertinet memorabile & maximè divinum illud ſomnium, quod Sereniſſimus Saxoniæ Elector Fridericus cognomento Sapiens, Fundator Academiæ VVittebergenſis Schvveinicij vidit A. C. 1517. nocte præcedente vigilias Omnium Sanctorum, quibus Lutherus propoſitiones ſuas de Indulgentijs VVittebergæ ad fores templi arci

arci contigui affixit. Atq; illud ita ſeſe habet.

Cum Sereniſſimus Elector ſeſe ad quietem compoſuiſſet, & pijs precibus ſe ſuaque Deo commendaſſet, circa mediam noctem in ſomnis viſus eſt ſibi videre Monachum honeſtâ facie, S. Pauli filium, cum omnibus Sanctis, utpote atteſtantibus ipſum à Deo miſſum eſſe; qui mandaret, ut permiſſu ſuo liceret Monacho ſcribere aliquid ad fores templi arcis VVittebergenſis, cujus nunquam pœnitere debeat Electorem. Elector viſus eſt ſibi per Cancellarium reſpondere Monacho: Quandoquidem ejus rei haberet mandatum à Deo, idq; teſtimonio comprobaret, ſcriberet quæ in mandatis haberet. Cœpit igitur ſcribere Monachus literis ita conſpicuis, ut quid illæ ſibi vellent Schvveinicij legi poſſet. Penna adeò erat longa, ut Romam uſque pertingeret, ibiq; Leonis aurem utramq; penetraret, Pontificis etiam porrò coronam ita tangeret, ut illa lapſum minaretur. Viſus igitur ſibi eſt Elector cum alijs manum ad-

admovere labaſcenti Pontificis coronæ, & nonnihil ſuccenſere Monacho, quòd inter ſcribendum pennâ incautiùs uteretur: Dumq; ita manum extendit, evigilat. Inde rursùm obdormienti redijt ſomnium. Videbatur enim Monachus ſcribendo pungere Pontificem & Leonem, quo rugiente accurrunt tota Roma & Imperij ſtatus, à quibus petit Pontifex, ut compeſcant Monachum, & de eo Electorem, in cujus ille ſit territorio, admoneant. Atque hîc iterum expergefactus eſt Elector. Cumq; tertiò obdormiret, redijt etiam tùm ſomnium: Nam videbantur Imperij ſtatus Romæ eniti ut pennam iſtam frangerent, & à Pontifice averterent: Quò autem illi magis annitebantur confringere pennam, eò illa magis indureſcebat & quaſi ferrea reddebatur, adeoq; perſtrepebat, ut aures & corda Pontificijs compungeret. Illi igitur cum dedecore dilabebantur ſalvâ & non fractâ pennâ. Tum Elector videbatur ſibi quærere ex Monacho, unde ſibi eſſet iſta tam longa & firma penna? Qui re-

reſpondebat, ſe eam accepiſſe à Præceptore Sene, qui eam ante annos centum in Bohemiâ de Anſere ſumſerit, & ſibi ad nominis divini gloriam donarit utendam. Affirmabat etiam, non poſſe huic pennæ animam ſeu ſpiritum extrahi, ut aliis pennis, quod ipſemet ſæpè ſit admiratus. Protinùs fama per omnem terram ſparſa eſt, naſci ex hac pennâ quàm plurimas alias, quas cupidè arriperent & precioſi theſauri inſtar haberent multi docti viri, maximè VVittebergæ. Et creditum eſt, multas pennas novellas naſci, quæ longitudine & duritiâ æquaturæ ſint Monachi pennam. Elector his viſis conſtituit cum Monacho colloqui, & ſub auroram evigilavit. Statim autem ſomnium hoc cum piâ admiratione Iohanni fratri, præſente Cancellario, commemoravit, ſeq; de eo cum Concionatore ſuo locuturum dixit. Totam hanc rem deinde M. Georgius Spalatinus, qui Electori à ſacris concionibus erat, aperuit D. Antonio Muſæo Theologo eximio. Porrò ante annos quatuor, Anno Iubilæo

læo Evangelico Somnium hoc eleganti picturâ Cupro incisâ, & interpretatione piâ expreſſum & illuſtri Comiti Mansfeldenſi dedicatum evulgavit *M. Petrus Kirchbach:* Unde hæc deſcripſi, quæ non illubenter cum candido & benevolo lectore communico.

A. C. 1418. die Aprilis horâ 9. defecit Sol 3. digitis à parte Boreali, in 26. gradu Arietis, juxta caudam Draconis. *Leovitius. Büntingus.* Die 20. Februarij finitum eſt Concilium Conſtantienſe. VVenceſlaus Rex Bohemiæ obiit. Pragæ ortâ ſeditione per Huſſitas, Senatores ſeptem è curiâ per feneſtras dejecti, aliorum lanceis in foro excepti ſunt. Circa hoc tempus in noſtris terris primùm apparuerunt homines nigredine informes, excocti Sole, immundi veſtitu, furtis imprimis acres, præſertim fœminæ, nam viris ex fœminarum præſagijs & furtis victus eſt. Tartaros vulgus appellat, ut ſcribit *Crantzius Saxon. lib. 11. cap. 2. Spangenberg. Chron. Sax. cap. 308.*

A. C. 1419. die 26. Martij ante meri-

diem fuit Eclipſis Solis ſatis magna in 15. gradu Arietis. Defecit enim Sol à parte Auſtrali ad dimidiam fermè partem diametri juxta caudam draconis. *Leovitius & Büntingus.* Hoc anno die 9. Iunij obiit Rudolphus El. Saxoniæ. Exarſit etiam bellum illud triennale inter Duces Brunſuicenſes & Epiſcopum Hildesheimenſem.

A. C. 1424. die 26. Iunij veſpertino tempore facta eſt horrenda Eclipſis Solis 14. gradu Cancri, ubi Sol defecit ultra undecim digitos juxta caput draconis. *Leovitius. Büntingus.*

Arx & civitas Vinarienſis propemodum tota exuſta eſt die inventionis Crucis. Hoc tempore bellum fuit grave inter Marchiones Brandenburgicos & Duces Pomeraniæ. *Spangenb. Chron. Saxon. cap. 312.*

A.C. 1433. die 17. Iunij valdè horrenda Solis Eclipſis facta eſt in 5. gradu Cancri. *Leovitius.* Cellæ in ducatu Brunſuicenſi poſt meridiem interventu Lunæ totus Sol eſt obſcuratus in caudâ draconis. *Büntingus.*

Bern-

Bernhardus Dux Lunæburgenſis mortuus eſt anno 1434. Eodem anno Duces Brunſuicenſes expugnant arcem Comitis de Spiegelberg; Interim Archiepiſcopus Colonienſis, Comites de Hojâ, Spigelberg & Lippiâ Ducatum Brunſuicenſem vaſtant. VVilhelmus ſen. expugnat Hojenſium Comitum arcem Barenborg. *Büntingus.* Circa hoc tempus acre bellum fuit Magdeburgijs & Hallenſibus cum ſuo Epiſcopo. *Spang. Chron. Sax. cap. 320. & ſeq.*

Portenderunt etiam hæc Eclipſis & Cometa annonæ caritatem, quæ ante annos duos orta tum valdè crevit uſque ad A. C. 1438. Modius frumenti Northuſanus Stolbergæ veniit 15. groſſis 9. numis. Ex Sileſiâ & Sylvâ Thuringicâ venerunt huc multi homines gregarij, qui pro ſolo pane ſuam quavis in re operam obtulerunt. Morbo etiam tum paſſim pecus perijt. *Spangenbergius Chronico Saxonico cap. 318.*

An. Chr. 1448. die 29. Auguſti horâ 6. diei defecit Sol circa 17. gradum Vir-

ginis ad digitos ſeptem juxta caudam draconis.

Menſe Novembri apoplexiâ extinctus eſt Amurathes Imp. Turcicus. Eodem anno exortum eſt bellum inter Albertum March. Elect. Achillem Germanicum & Noribergenſes. Mediolanenſes cives rebellarunt contra Senatum. Veneti cœſi ſunt per Franciſcum Sfortzam.

Anno Chriſti 1452. die 11. Decembris Sol defecit in 30. gradu Sagittarij. *Leovitius.* Obſcurata eſt quarta pars diametri Solis in capite draconis à parte Auſtrali.

Hoc eodem anno menſe Majo Mahometes Imperator Turcicus expugnavit Conſtantinopolin. Conſtantinus ultimus Imper. in portâ conculcatus eſt. Ejus caput Turcicus Tyrannus palo affixum circumgeſtari juſſit, & in urbe multa impiè & crudeliter fieri fecit.

A. C. 1476. die 25. Februarij facta eſt magna Eclipſis Solis in 16. gradu Geminorum. *Leovitius.*

Pau-

Paulò poſt hanc Eclipſin Carolus Dux Burgundiæ ad Granſen fugatus ab Helvetiis 2. die Martij, amiſſis caſtris & prædâ æſtimatâ 30. tonnarum auri precio, ægrè evaſit, cum paulò antè capto oppido Granſen, ex arboribus juſſiſſet ſuſpendi quingentos præſidiarios milites in oppido inventos. Et non diu pòſt eodem hoc anno die 22. Iunij ad Moratum idem Carolus ab Helvetijs acie victus eſt. Anno verò ſequenti pridiè Epiphanias Domini ad Nanſeium à Renato Lotharingiæ Duce ac Helvetijs circumventus ac trucidatus interijt Carolus Burgundus cum duobus fratribus nothis Antonio & Balduino, ac pluribus aliis præſtantibus ducibus. Cadaver ejus vix tandem inter trucidatos inveniri potuit. *Büntingus in Chronologiâ.*

Anno hoc 1477. Erneſtus Elector Saxoniæ & Albertus frater occupaverunt Quedlinburgum, quod cives Abbatiſſæ, ipſorum ſorori obœdientiam negaſſent. Statua Rolandi conciſa & civitas direpta eſt. Epiſcopus Halberſtadenſis coactus

eſt pendere 15000. aureos. *Spang. Chron. Saxon 338.*

A. C. 1478. die 29. Iulij fuit Eclipſis Solis, cujus initium contigit Noribergæ horâ poſt meridiem primâ. *Iohannes Monteregius.* Defecit Sol ultra tertiam partem diametri ab Auſtro in Leone, juxta caput draconis.

Terræ hoc anno magna fuit ſiccitas & ſterilitas. Hallæ diſſidebant Senatus & Salinarum Domini: Archiepiſcopus occupabat civitatem magno cum bonorum quorundam detrimento. *Spangenb. Chron. Saxon. cap. 338.* Turci totam Carinthiam ſequenti anno vaſtarunt. *Chron. Pol.* Eodem Anno 11. die Maji cœſi ſunt cives Eimbeccenſes à VVilhelmo Iuniore & filio eius Henrico Seniore, qui tum Gottingenſis terræ erant Gubernatores. *Chron. Saxon.*

A. C. 1482. die 17. Maji veſperi, facta eſt Eclipſis Solis in 6. gradu Geminorum. *Leovitius.*

Anno eodem die S. Iacobi obijt VVilhelmus Sen. Dux Brunſ. & Lunæb. dictus

Dux

Dux ſeptem pugnarum. Die Lamperti obiit VVilhelmus Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ &c. Anno ſequenti 5. Idus Aprilis obiit Eduardus IV. Angliæ Rex.

A.C. 1485. die 16. Martij facta eſt Eclipſis Solis, cujus medium fuit Noribergæ poſt meridiem horis 4. ſcrup. 27. Defecit Sol ad 11. digitos, ſicut *Bernhard. VValt.* obſervavit. *Büntingus.*

Hoc anno menſe Octobri Henricus VII. Rex Angliæ victo & occiſo Richardo III. coronatus eſt. Hoc anno bellum fuit Hildesheimenſibus cum ſuo Epiſcopo. *Chron. Saxon. cap. 342.* Graſſata etiam eſt peſtilentia. Sequenti anno mortui ſunt Erneſtus Elector Saxoniæ, & Albertus Dux Brunſuic. & Lunæb. Grubenhagiæ lineæ.

An. Chr. 1497. die 29. Iulij fuit Eclipſis Solis, cujus finis Noribergæ obſervata eſt horis 3. ſcrup. 24. poſt meridem à *Bern. VValt. Büntingus.*

Turci Stiriam & Carinthiam populati ſunt. *Paulus Iovius.* Sequenti anno

7. Id. Aprilis obiit Carolus IIX. Francorum Rex. Eodem anno circa nundinas Vernales Lipſenſes Iſlebij fuit magnum illud incendium, quo templum S. Andreæ, S. Catharinæ Noſocomium, & quicquid vicinum fuit foro, Iudæorum curiæ & Lignorum foro, miſerè conflagravit. *Spang. Chron. Saxon. 345.*

A. C. 1502. die 1. Octobris facta eſt Eclipſis Solis in 16. gradu Libræ, & obſcuratus eſt Sol ad duodecim digitos. *Chronic. Saxon.*

Hoc anno & virorum & fœminarum veſtibus cruces ſanguineum & purulentum colorem referentes illapſæ ſunt, quæ haud dubium ſignum fuerunt peſtis, quæ ſequenti anno valdè graſſata fuit. *Spangenberg. Chron. Saxon. cap. 346.* Eodem anno VVilhelmus jun. Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſi ex mortali hac vitâ diſceſſit.

A. C. 1518. menſe Iunio horrenda Eclipſis geneſin Maximiliani Imp. vehementer obfuſcans, eiq; lethalis Viennæ apparuit. Eadem horâ horrendum excitatur
incen-

incendium, quo platea amœniſſima, quæ Cantorum dicitur, magnâ parte exuſta eſt. Maximilianus autem in Oeniponte cum ſuis agens, in iram commotus, in febrim incidit occultam, quam animi anguſtiæ auxerunt, adeò ut, cum VVelſam ſuperioris Auſtriæ oppidum attingeret, apertè langueſcere cœperit & tandem obierit. *Cuſpinianus.* Obiit autem Imperator optimus An. Chr. 1519. die 12. Ianuarii.

Eodem anno maximè arſit bellum inter Epiſcopum Hildesheimenſem & Duces Brunſuicenſes. Eſtq; facta pugna illa memorabilis in vigilijs Petri & Pauli, in terrâ Lunæburgenſi ad oppidum Soltavv, quâ ab exercitu Hildesheimenſi capti ſunt Ericus ſenior & VVilhelmus frater Henrici junioris, Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes. *Büntingus in Chronol. Spang. Chron. Saxon. cap. 355.*

A. C. 1519. die 23. Octobris fuit Eclipſis Solis, quæ duravit horam 1. minut. 59. Defecit autem digitis ſex, horâ 4. poſt meridiem. *Chron. Saxon.*

Sequenti anno 5. Ianuarij Belgradum à Turcis eſt captum. Selymus Imper. Turcorum ex ulcere peſtilentiali miſerè perijt. Ad Sylvam Hercyniam peſtilentiæ malum multos homines abſtulit. *Spang. Chron. Saxon. c. 356.*

A. C. 1530. die 29. Martij horâ 2. à meridie Sol defecit in 18. gradu Arietis. Duravit defectus horis 2. minut. 57. *Leovit. Büntingus. Chron. Saxon.*

Eodem anno menſe Novembri, finierunt Comitia Auguſtana, dato edicto à Cæſare pro conſervatione doctrinæ pontificiæ, & abolitione adverſæ. Anno ſequenti obiit Ludovica Regina Galliæ Franciſci mater. Factum etiam eſt 11. die Octobris prælium Tigurinorum cum quinq; pagis, quo occubuit Zvvinglius. *Sleidanus lib. 8.*

A. C. 1532. die 30. Aprilis, in meridie facta eſt Eclipſis Solis, quam his verſibus deſcripſit *Philippus Melanchthon.*

*Cras ubi labetur medio Sol arduus orbe,*
*Infauſtâ fratrem Cynthia nocte teget.*

*Nec*

*Nec vos ô Iuvenes cœleſtia ſpernite ſigna,*
*Nec ſuperùm vanas eſſe putate minas.*
*Quas autem Eclipſis clades denunciet iſta,*
*Hic typus ex aliquâ parte monere poteſt.*
*Ecce ſubit tenebras Aſtrææ in ſidere Phœbus,*
*Et Comites Martem Mercuriumq́; trahet.*
*Legibus hi ſacris, quas diva Aſtræa tuetur;*
*Cum malè ſint poſiti maxima damna dabunt.*
*Vos tamen à* CHRISTO *votis expoſcite pacem:*
*Ille pericla unus pellere cuncta poteſt.*

A.C.1534. die 6. Ianuarii (aliis 14. Ian.) horâ 12. meridianâ Sol defecit ad quinq; digitos. Duravit defectus horâ unâ ſcrup. 51. *Chron. Saxon. Philippus Melanchthon* hanc Eclipſin ita deſcripſit.

*Eventus quòd habent tardos cœleſtia ſigna,*
*Non ideò vanas eſſe putate minas.*
*Impius hic vulgi furor eſt contemnere fata,*
*Impietas pœnam verùm habet iſta gravem.*
*Antè canunt vobis venturos numina caſus,*
*Et lævas mentes ſæpè monere volunt.*
*Admoniti ſuperùm rurſum flectamus ut iram,*
*Et fiant noſtrâ mitia fata prece.*
*Sed ſunt heu nimium ſurdæ mortalibus aures,*
*Non ulla terrent pectora dura minæ.*

Qua-

*Quare iterum ſævas portendunt ſidera clades,*
*Cras ubi Sol medio traxerit orbe diem.*
*Aethereis tunc vecta plagis, non omine fauſto,*
*Obſcurâ Solem Cynthia nocte teget.*
*Crede mihi accelerant jam non contantia fata,*
*Eventus faciles ſed dato* CHRISTE *precor.*

Hoc ipſo anno Monaſterij in VVeſtphaliâ cœpit impium & diabolicum regnum Anabaptiſtarum & obſidio iſtius urbis. Hiſtoriam pleniorem candidus lector petat *ex Sleidani lib. 10.* Hujus anni æſtas fuit admodum ſicca, quâ defecerunt pabula & flumina. Plurimi pagi & oppida ignis conſumſit, quod reſtinguendis flammis aqua non ſuppeteret.

A. C. 1536. Orbis Solis & Lunæ obſcuratus fuit. *Camerarius in vitâ Philippi Melanchthonis.* De effectu lege infrà in Eclipſi Lunari.

A. C. 1540. die 7. Aprilis fuit horrenda Eclipſis Solis, quam ſecuta eſt æſtas ſicca, cui ſimilem hominum nemo meminerat, & quæ etiam hodiè ab omnibus decantatur. Paſſim vagati ſunt incendiarii, qui multum damni dederunt. Multæ

urbes

urbes & oppida incendiis miſerè ſunt deformata, præcipuè Northuſa, Eimbecca, Oſteroda & aliæ. *Spangenb. Chron. Saxon. cap.371.*

Anno ſequenti Ferdinandus Rex Ungariæ Budam obſidebat: Vidua igitur Iohannis VVavvodæ Turcam invocavit, qui obſidione depulsâ arte Budam viduæ extorſit, & 2.Sept. urbem ingreſſus eſt. *Sleidanus lib. 14.*

A. C. 1544. die 24. Ianuarij facta eſt Eclipſis Solis, cujus medium Lovaniæ fuit horâ 8. ſcrup. 53. ante meridiem. Defecerunt 10. digiti in parte inferiori, cum communes tabulæ partem ſuperiorem deſignarent. *Gemma Friſius in Radio Aſtronomico.* Hujus Eclipſis calculus & figura eſt ap. *Büntingum. Iohannes Funccius* ſcribit, hanc Eclipſin fuiſſe tantam, ut dies iterum cœperit noctescere tanquam in crepuſculum veſpertinum; & volucres cœli, quæ primâ luce fuerant hilares, cum tantæ ſubitò occurrerent tenebræ, obmuteſcere inceperint. Idem addit, quatuor uno eodemq; hoc anno factas eſſe

Ec-

Eclipſes: I. in Lunâ 10. die Ianuarij. II. in Sole die 24. Ianuarij. III. iterum in Lunâ die 4. Iulij. IV. denuò in Lunâ die 29. Decembris. Quæ hanc Solis Eclipſin mala ſequuta ſunt, legantur in Eclipſibus Lunæ eodem hoc anno factis.

A.C. 1547. die 12. Novembris horâ 2. à meridie defecit Sol digitis 9. duravit hic defectus horâ 1. minutis 8. *Chron. Saxon.*

Anno ſequenti obijt Sigiſmundus Rex Poloniæ. In Galliâ fuit magna perſecutio contra reformatæ religionis homines.

A. C. 1551. die 31. Auguſti horâ 2. poſt meridiem facta eſt Eclipſis Solis, Tubingæ obſervata. *Regiomontius. Büntingus.*

Duravit tum obſidio Magdeburgenſis. Philippus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis Grubenhagius diem ſuum obiit.

A.C. 1553. 13. Ianuarij horâ 2. meridianâ Sol defecit ad tres digitos, duravit defectus ad horam unam & ſcrup. 40. *Chron. Saxon.*

Nemo propemodùm eſt, cui non nota

nota ſit cruenta hujus anni pugna, quâ die 9. Iulij acerrimè conflixerunt ad pagum Sivershuſen Mauritius Elector Saxoniæ & Henricus jun. Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis cum Alberto March. Brandenburgenſi, mirabili certè eventu. Ab Electoris & Henrici Ducis parte ſtetit quidem victoria, ſed admodum cruenta: Occubuerunt enim ab hac parte Mauritius Elector, Carolus-Victor & Philippus-Magnus, Henrici filij, & Fridericus Erneſti filius, Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes. Et præterea perierunt multi Comites & Equeſtri loco nati. In loco ipſo conflictus ultra quater mille hominum cadavera fuerunt ſepulta. *Spang. Chr. Sax. c.389.*

A. C. 1560. die 21. Auguſti horâ 1. ſcr. 54. poſt meridiem Viennæ in Auſtriâ Sol defecit punctis 5. cum ſemiſſe, *ſicut obſervavit Tilemannus Stella & Parillus Fabricius.* Habetur hæc Eclipſis in Ephemeridibus *Ioannis Stadij. Buntingus.*

Eodem hoc anno die 29. Seprembr. è vitâ deceſſit Guſtavus Rex Sueciæ. Die 5.De-

5. Decembr. obijt Franciſcus II. Gallorum Rex. Philippus Dux Pomeraniæ obiit 14. Februarij.

A. C. 1567. die 9. Aprilis circa meridiem Sol in Ariete defecit digitis novem ſcrup. 43. duravit defectus horâ 1. min. 13. *Buntingus. Chron. Saxonicum.*

Eodem hoc anno Caſſellis è vitâ deceſſit Philippus Landgravius Haſſiæ. Die Aprilis 13. gener ejus Iohannes-Fridericus Dux Saxoniæ, proditione ſuorum Gothæ capitur. Die 18. Aprilis ſupplicium ſumitur à VVilhelmo Grumbach, Chriſtiano Pontano I. U. D. Cancellario, VVilhelmo Steinio, Davide Baumgartnero & aliis. In Belgio excitati ſunt tumultus, & cum ſtatuis pugnatum eſt. Albanus in Belgium veniens multa crudeliter fecit. Ericus Rex Sueciæ à regni primoribus capitur, cui ſuccedit Iohannes frater. Anno ſequenti die 20. Martii Albertus Dux Boruſſiæ primus cum uxore Annâ-Mariâ, filiâ Erici Ducis Brunſuic. & Lunæb. ex mortali hac vitâ deceſſit. Eodem anno, die 11. Iunij obiit diem ſuum Henricus

cus junior Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis.

A. C. 1574. die 13. Novembris, paulò ante quartam veſpertinam uſque ad ſextam, Sol dimidiâ ſui parte defecit. Defectus hic non ultra quartam horæ partem in horizonte noſtro conſpici potuit. Terris autem occidentalibus fuit manifeſtior, ad quas etiam ipſius ſignificatio ſpectat. *M. Mauritius Steinmetz. Chronicon Saxonicum* inquit, hanc Eclipſin in 8. domo mortis initium, & in 6. domo morbi exitum habuiſſe.

Sequenti anno in Galliâ & Belgio recruduit bellum.

A. C. 1579. die 25. Februarij à meridie intra 3. & 4. horam, prope caput draconis, in ſeptimâ domo, in ſigno piſcium Sol ſub occaſum defecit. Defectus initium fuit paulò ante quartam, unâ ſcilicet horâ antè occaſum: medium eſt hora quinta, finis ſexta. Duratio eſt duarum horarum. Obſcuratur Sol ad 6. digitos cum ſemiſſe. *D. Andreas Roſa. Chronicon Saxonicum* affirmat, defeciſſe Solem ad di-

gitos octo, durationem fuiſſe duarum horarum & triginta minutorum.

Hoc anno Stephanus Rex Poloniæ Moſcoviam bello adortus eſt, & aliquas civitates & oppida recuperavit, quæ Moſcus regno Poloniæ ademerat. Hannoveram & alias Saxoniæ urbes peſtilentiæ malum valdè adflixit. *Büntingus in Chronologiâ.*

A.C. 1582. die 20. Iunii, horâ 4. ante meridiem Sol obſcuratus fuit ad 4. digitos, horâ unâ ſcrup. 16. in ſigno Cancri. Finis defectus fuit hora quinta matutina. Habitantibus ad ortum defectus hic fuit conſpectior quàm nobis. *D. Hector Mithobius. Chron. Saxonicum.*

Hoc anno Rudolphus Imp. Auguſtæ habuit Comitia, in quibus primariè actum eſt de contributione adverſus Turcam, quam Principes quidem decreverunt, ſed civitates Imperij, antequam gravamina earum cognoſcerentur, dare recuſabant. Circa exitum Comitiorum Gregorius XIII. PP. Calendarij reformati formam Imperatori miſit, ut in Germani-

manico imperio illud promulgaret. Auguſtus Elector Saxoniæ rogatus Calendarium non recipiendum cenſuit, cum propter difficultates & confuſiones in judicijs, hiſtorijs, literis contractuum & omnibus negotijs ſequuturas; tum inprimis propter Cæſ. Majeſtatis & Imperij autoritatem & ſuperioritatem à Pontifice non imminuendam. *Chytræus Chron. Saxon. lib. 25.* Sigiſmundo R. Poloniæ cum Rege Succiæ interceſſit controverſia de Narvâ & aliis Livoniæ locis. *Arthuſius. Tom. 4. lib. 1.* Gebhardus Archiepiſcopus Colonienſis ducens uxorem à P P, excommunicatur & dignitate exuitur. *Idem Tom. 3. lib. 2.*

A. C. 1584. die 30. Aprilis horâ 5. min. 24. ante meridiem, Sol fuit obſcuratus ad 3. digitos, in 20. gradu Tauri, non procul à capite Agol ſtellâ infauſtâ & omnium violentiſſimâ. Hæc Eclipſis, quando noſtrum horizontem vix attigit, relinquitur conſideranda illis, à quibus integra conſpecta fuit. *D. Samuel Mullerus in Ephemeride.*

A. C. 1585. die 19. Aprilis facta eſt Eclipſis Solis. Anno eodem Cal. Octobris obiit Anna f. Chriſtiani III. Regis Daniæ, Auguſti Elect. Saxon. uxor, quam anno ſequenti, die 11. Febr. Sereniſſimus maritus eſt ſequutus. Fuerunt tum in Sereniſſimâ domo Saxonicâ funera frequentia: Præter enim Sereniſſimum Electorem Auguſtum & uxorem circa hæc tempora vitam cum morte commutarunt Anna-Sabina f. Chriſtiani I. El. Saxon. A. C. 1586. 24. Martij. Dorothea f. Auguſti El. Saxon. uxor Henrici-Iulij Duc. Brunſ. & Lun. 1587 13. Februar. Dorothea-Maria f. Friderici-VVilhelmi Ducis Sax. 1586. 28. Auguſti. Iohannes-VVilhelmus f. eiuſdem Frid-VVilh. D. Saxon. 1587. 23. Ianuarij. & Fridericus f. ejuſdem ſecundus 1587. 20. Iunij.

A. C. 1586. 2. die Octobris Sol defecit prope Spicam Virginis. Anno ſequenti die 18. Februarij Maria Scotiæ Regina in Angliâ ſecuri percuſſa omnibus Regibus & Principibus miſerabile rerum humanarum etiam in ſummâ fortunâ inconſtantiæ exemplum reliquit. *Arthuſius Tom. 3. lib. 3.*

A. C

A. C. 1590. quatuor factæ ſunt Eclipſes, ex quibus in noſtro horizonte ſemel Luna, bis Sol defecit. Die 25. Ianuarii veſperi horâ quartâ cœpit Sol deficere, finis fuit poſt quintam. Defectus fuit 8. punctorum cum ſemiſſe, duravit ad duas horas.

Alter Solis defectus hoc anno factus eſt die 21. Iulij. Ejus initium fuit media nona: Medium media decima: finis media undecima. Duratio fuit horarum duarum. Puncta defectus fuerunt ſex. *M. Thobias Mollerus.*

In Italiâ ingens eſt fames & annonæ caritas. In Belgio Breda à Mauricio Auriaco occupatur. Lutetia Pariſiorum à Navarræo Rege obſeſſa, duriſſimâ fame affligitur. Parmenſis Dux exercitum in Galliam ducit, & inde reducit in Belgium. *Arthuſius Tom. 3. lib. 4.*

A. C. 1591. die 10. Julij facta eſt Eclipſis Solis deficientis ad tres digitos. Initium eſt hora 3. min. 3. à meridie: finis hora 4. min. 35. Duratio eſt horæ unius, 32. minutorum. Facta eſt hæc Eclipſis in 8. domo,

quæ eſt Martis, in 27. gradu Cancri prope caput draconis. *M. Thobias Mollerus.*

Hoc annó ſub initium Auguſti magnæ copiæ auxiliares à Germanis Principibus in Galliam ad Navarræum mittuntur. Hulſta Flandriæ oppidum ab Auriaco expugnatum, & in Ordinum poteſtatem redactum. Chriſtianus Elector Saxoniæ diem ſuum obiit. In Angliâ edictum contra Sacrificulos & Ieſuitas publicatum. Parmenſis ſecundò exercitum in Galliam ducit. Die 26. Xbris hujus anni diem ſuum obiit VVilhelmus Dux Iuliacenſis, cum vixiſſet annos 75. *Arthuſius Tomo 3. libro 4.* Hoc anno menſe Majo, diem ſuum obiit Iohannes Epiſcopus Argentinenſis, in cujus locum quidam ex Capitularibus elegerunt Cardinalem Lotharingium, quidam verò Iohannem-Georgium Marchionem Brandenburgium, unde grave & funeſtum bellum exortum eſt. *Arthuſius Tom. 3. lib. 4.*

A. C. 1593. die 20. Maji facta eſt Eclipſis Solis, quæ *in Coſmographia Petri Apiani annotata eſt.* Eandem ſic deſcribit *Iohan-*

*nes Mullerus in Ephemeride.* Die 20. Maji facta eſt Eclipſis Solis, quæ incipit quartâ horæ parte ante ſecundam: maxima eſt mediâ tertiâ: finit quartâ horæ parte poſt tertiam: Obſcuratur ſexta pars Solis. In noſtro horizonte vix conſpici potuit.

Anno eodem menſe Novembri in vivis eſſe deſiit Iohannes Rex Succiæ, pater Sigiſmundi Regis Polonorum, qui Auguſtanæ confeſſionis exercitio in Sueciâ confirmato patri ſucceſſit, & cum uxore coronatus rediit in Poloniam, inſpectione regni Carolo patruo commiſſâ. *Arthuſius Tom. 4. lib. 1.*

A. C. 1595. die 23. Septembris prope caudam draconis in domo Religionis, in 9. gradu libræ, ultra tertiam partem ſui diametri, ſeſquihorâ Sol obſcuratus eſt. Initium fuit quartâ parte horæ poſt primam pomeridianam: medium duobus minutis ante 2. horam: finis quartâ parte horæ ante tertiam. *D. Caſparus Bucha in Ephemeride.*

Eodem anno, die 21. Februarij Bruxellis mortuus erat Erneſtus Archidux

Auſtriæ Gubernator Belgij: In ipſius locum ſufficitur Albertus frater Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, qui ſequenti anno menſe Ianuario Bruxellas venit, & paulò pòſt Feram à Gallis obſeſſam commeatu ſublevavit, & Caletum expugnavit.

Ferdinando Cæſaris patruo Comite Tirolenſi defuncto, Comitatus adminiſtratio commendata eſt Matthiæ Archiduci, belli Hungarici curâ in fratrem Maximilianum collatâ, qui A. C. 1596. 12. Maji Pragam profectus mentem & conſilium Cæſaris probè cognovit, & menſe Iulio ad caſtra Chriſtianorum profectus eſt. Menſe Septembri Mahometes Sultanus Turcicus cum ingenti exercitu Budam advenit. *Arthuſius Tom. 4. lib. 2.*

A. C. 1596. die 12 Septembris facta eſt Eclipſis Solis. Menſe Octobri eodem anno Mahometes Agriam obſedit & occupavit. Ad Careſtam varijs præliis cum Chriſtianis pugnavit, eoſq; cecîdit. Perierunt in hoc prælio & Agriæ oppugnationibus è Chriſtianis 20. ex Turcis ad 60. mil-

millia. Mahometes amiſſis optimis ſuis militibus & Ianitſcharis reverſus Belgradum, inde profect⁹ eſt Conſtantinopolin ſine tympanis & explicatis vexillis, tam tacitè ut cæſum eum eſſe paſſim famæ daretur. *Arthuſius Tom.4. lib.2.*

A. C. 1598. die 25. Februarij horâ 11. min. 3. meridie in piſcibus prope caput draconis Sol defecit. *D. David Herlicius.*

Eodem anno die 13. Septembris mortuus eſt Philippus II. Hiſpaniarum Rex.

Aquiſgranenſes propter tumultum à Cæſare proſcripti erant. Illos igitur hoc tempore damnatos omnium direptioni & cædibus expoſuit, dato mandato Colonienſi & Trevirenſi Electoribus, ut aſſumpto Principe Iuliacenſi rebelles ad parendum ſummâ vi cogerent, & ſi viribus impares eſſent, Alberti Archiducis, qui paratum exercitum iis in locis haberet, auxilio uterentur. Hoc inſperato caſu quidam, qui ſe hoc mandato peti videbant, ex urbe profugiunt, Auguſtanam confeſſionē profitentes omnes profligantur. Tandem rogatu civium & volun-

luntate Colonienſis Electoris per vicinos principes actum eſt, ut exules reſtituerentur, magiſtratus Pontificijs demandaretur, ut cultus omnes Religionis ad veteres Romanæ Eccleſiæ ceremonias reducerentur. *Arthuſius Tom. 4. lib. 3.*

Anno 1598. Rex Poloniæ, Religionis ex ſententiâ Ieſuitarum reformandæ cauſsâ Sueciam ingreſſus infeliciter pugnat cum Carolo Sundermanniæ Duce patruo. *Idem ibidem.*

A.C. 1600. die 30. Iunij, mediâ 2. pomeridianâ Sol defecit ultra 7. digitos, apud caudam draconis, in domo Religionis 17. gradu Cancri. Initium fuit ſtatim à primâ: medium poſt ſecundam: finis mediâ quartâ.

Eodem anno in natali Domini Sol iterum defecit in priori loco apud caput draconis in 14. gr. Capricorni. Eclipſis hæc fuit parva, & ſeſe vix ad 45. minuta extendit. *D. Caſparus Bucha.*

Ineunte anno 1601. Poloni Suecis bellum denunciantes in Livoniâ cæſi ſunt. Alba Regalis in Hungariâ cæſis Tur-

Turcis à Chriſtianis expugnata eſt. Recrudeſcunt motus inter Embdenſes & Comitem ſuum in Phriſiâ Orientali. *Arthuſius Tom. 4. lib. 4.*

A. C. 1601. die 13. Decembris defecit Sol.

A. C. 1602. Ordines Belgici magnis copijs ex Germaniâ & Angliâ contractis Brabantiam invadentes Graviam obſident & expugnant. Baſta Tranſylvaniam in Cæſaris poteſtatem redigit, Moſe Zeclero profligato, & Sigiſmundo Bathorio Cæſaris poteſtati ſe permittente. Bironius in Galliâ proditionis in Regem accuſatus & convictus ſupplicio afficitur. *Arthuſius Tom. 4. lib. 4.*

A. C. 1602. die 9. Iunij defecit Sol. Menſe Octob. die 21. ex hac vitâ ærumnoſâ in æternam commigravit Hedvvigis nata ex March. Brandenburgicis, vidua relicta Iulij Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis.

Hoc anno ſeditioſi in Belgio milites ab Alberto Archiduce Auſtriæ proſcripti, multa violenter agunt. Leodienſibus & vici-

vicinorum agrorum præfectis & oppidis literas miſerunt pugione in medio perforatas, & quatuor angulis igne ambuſtis; interminantes ſimul, niſi continuò vaſa aliquot pulveris tormentarij, funiculos, certum haſtarum & ſcloporum numerum cum aliquâ pecuniæ ſummâ mitterent, ferro ſe & igni eos perſequuturos. Dux Sabaudiæ Genuenſibus ſtruit inſidias. *Arthuſius Tom. 4. lib. 4.*

Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Henricus-Iulius, Epiſcopus Halberſtadenſis, Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, ut Rudolpho Cæſari fidelitatis obſequium probaret, ſub finem anni 1602. in Hungariam adverſus Turcos ſuo ſtipendio miſit & aluit mille Equites & bis mille pedites ſelectiores & probè inſtructos, Ductore Ulrico Duce Holſatiæ, hærede Norvegiæ &c.

A. C. 1603. die 1. Maji, manè horâ 2. min. 15. ante meridiem, facta eſt magna Solis Eclipſis infra noſtrum horizontem. *Albinus Mollerus in Ephemeride.*

Eodem anno die 24. Octobris, horâ ma-

matutinâ 7. min. 15. rurſum totus Sol defecit. *Albin. Moller.*

Hoc anno obiit Eliſabetha Angliæ Regina. Obiit etiam Maria Imperatrix, filia Caroli V. uxor Maximiliani II. mater Rudolphi II. Imppp. Diem etiam ſuum obiit Georgius-Fridericus March. Brandenburgicus die 26. Aprilis ætatis anno 64. finito. Collonitſius in Hungariâ contra Turcas feliciter bellum gerit. Continuatur obſidio Oſtendana, quam ad Flandrorum petitionem inceperat Albertus Archidux A. C. 1601. In Angliâ valdè graſſatum eſt peſtilentiæ malum. In Angliâ contra Regem fit conſpiratio. *Arthuſius Tom. 5. lib. 1.*

Anno 1604. diem ſuum obiit Ulricus Dux Megapolitanus die 14. Martij, cum vixiſſet annos 76.

A. C. 1604. die 19. Aprilis, horâ 7. min. 2. facta eſt horrenda Eclipſis Solis, quæ plenius conſpici potuit in Arabiâ, Indiâ & Inſulis meridionalibus.

Anno eodem die 12. Octobris, horâ 10. min. 35. poſt meridiem, Sol obſcuratus

tus eſt ad 6. digitos, ut conſpici potuerit in novo orbe ab Hiſpanis reperto. *M. Albinus Mollerus.*

A C. 1605. die 8. Aprilis horâ 7. min. 40. Sol obſcuratus ad quinq; puncta, 56. min. ante meridiem. Hæc Eclipſis à nobis conſpici non potuit.

Anno eodem die 2. Octobris hor. 1. min. 41. meridie, circa 19. gradum Libræ, Sol totus defecit præter punctum unum min. 8. Extendit igitur ſeſe hic defectus ad puncta 10. min. 52. Atque hæc hujus anni quarta fuit Eclipſis. *Martinus Klugius in Ephemeride.*

Eodem anno, altero ab hoc Eclipſi die, milites præſidiarij Strigonij, comite Oettingenſi Præfecto reclamante, & ideò in cuſtodiam abducto, celebre hoc propugnaculum Turcis dediderunt. Die 21. Octobris Brunſuiga obſidione cincta eſt ab Henrico-Iulio Epiſcopo Halberſtad. Duce Brunſuicenſi & Lunæburgenſi.

A. C. 1606. Iohannes D. Saxoniæ diem ſuum obiit. Brunſuicenſes obſidione liberati Duci ſuo multum damni inferunt.

runt. Papa fulmen excommunicationis ſtringit in Veneros, & contra illos exercitum colligit. Demetrius Magnus Moſcoviæ Dux à ſuis trucidatur. Magna per Italiam eſt annonæ caritas. *Arthuſius Tom. 6. lib. 4.*

A. C. 1607. die 16. Februarii ante meridiem horâ 8. min. 9. in 7. gradu piſcium Sol defecit. Duravit defectus hor. 1. minut. 42.

Anno eodem die 12. Auguſti, fuit etiam magna Solis Eclipſis, ſed infra noſtrum horizontem. *M. Albinus Mollerus.*

Diſſidentibus inter ſe Rege Poloniæ & Nobilibus ejus, dum de pace tractatur ad VVarſoviam, Regius exercitus in Nobiles nihil tale metuentes movit, & magnam ſtragem edidit, tormenta & currus eorum plurimos occupavit, ipſoſq; diſſipatos in fugam conjecit, factum hoc eſt menſe Iunio, anno 1607. Carolus Dux Sueciæ, cum videret Poloniam inteſtinis motibus ardere, VVeiſſenſteinium fortiſſimum Livoniæ propugnaculum occupavit. Die 7. Auguſti publicatum eſt

man-

mandatum Imperatoris adverſus Donavverdam, ejuſq; executio Maximiliano Bavariæ Duci demandata eſt: Qui per exercitum ſuum die 11. Decembris urbem occupavit. *Arthuſius lib. 3. Tom. 7.*

Anno 1608. die 29. Ianuarii obiit Fridericus Dux VVirtenbergenſis. Die 6. Aprilis tumultus exortus eſt Romæ in Commonſtratione Relliquiarum. Matthias Archidux Auſtriæ cum exercitu Pragam contendit, & pacificatione cum Cæſare fratre factâ, Diadema Hungaricum, cum inſignibus aliis ad id pertinentibus accipit menſe Iunio.

A. C. 1608. duo fuerunt Eclipſes Solares. Primò enim Sol defecit die 6. Februarii, horâ 1. noctu, horis 6. min. 8. Gradu 26. min. 20. Aquarii, grad. 2. min. 18. poſt caudam draconis, ad 11. puncta & 28. min. infra noſtrum horizontem. Deinde die 31. Iulii horâ 5. pomerid. Sol defecit in 7. grad. 50. min. Leonis: grad. 3. min. 18. poſt caput draconis, ad punct. 1. min. 50. Hic defectus in noſtro horizonte obſervari potuit.

A.C.

A. C. 1609. die 25. Martij diem ſuum obiit Iohannes - VVilhelmus Dux Iuliacenſis, Clivenſis & Bergenſis &c. magno cum ſubditorum dolore, & ob ſucceſſionem metu. Mortem ejus ſequutæ ſunt diſſidiæ & bella acerbiſſima eorũ, qui ſucceſſionẽ in terris ampliſſimis ad ſe pertinere contendebant. Ex quibus præcipui erant VVolfgangus - VVilhelmus Com. Pal. Rheni Princeps Neoburgicus, Elector Brandenburgicus, Elector & Duces Saxon. nec non Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis: Henricus Comes de Marchiâ: Carolus Marchio Burgæus. *Arthuſius Tom. 8. lib. 1. & ſeq.* Poloniæ Rex exercitum mittit in Moſcoviam, PſeudoDemetrij cauſsâ, qui ſe pro legitimo Ducatus hærede ferebat.

A. C. 1610. die 11. Iunij facta eſt magna Eclipſis Solis infra noſtrum horizontem verſus ortum & meridiem. Eodem etiam anno die 5. Decembris totus fermè Sol obſcuratus eſt populis orientalibus. *M. Albinus Mollerus.*

A. C. 1611. tota Europa ab Eclipſibus

 fuit

fuit immunis. Factæ tamen ſunt Solares Eclipſes duæ: Prior die 31. Maji horâ 10. à meridie in 19. gradu Geminorum facta, cadit in quartā partē orbis, in Mexicanicas novè repertas terras diſtantes à nobis 1273. milliaribus. Altera facta die 24. Novembris horâ 9. in 11. gradu Sagittarij verſus Eurum & Auſtrum in terris à nobis diſtantibus 750. milliaribus. *Johannes Reinſtein in Ephemeride.*

A. C. 1612. quatuor factæ ſunt Eclipſes. Die 20. Maji circa 11. meridie defecit Sol. Et præterea Solis defectus factus eſt extra noſtrum horizontem. *M. Paulus Nagelius in Ephemeride.*

Hoc anno Northuſa Thuringiæ, ſequenti Gneſna Poloniæ & Magdeburgum Saxoniæ civitates igni valdè ſunt deformatæ. An. Chr. 1612. menſe Novembri Bielfeldæ & aliis in locis terræmotus fuit horribilis, *de quo legatur Arthuſius Tom. 9. lib. 3.* Hoc anno die 6. Novembris in vivis eſſe deſiit Henricus VVallesius Angliæ Regis filius natu major. A. C. 1613. Terræ motus factus eſt in Candiâ ſeu Cretâ

In-

Inſulâ. Henricus-Iulius Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis placidè diem ſuum obiit Pragæ die 20. Iulij. Eodem menſe obiit Erneſtus Marchio Brandenburgenſis. *Arthuſius Tom. 9. lib. 4.* Gabriel Bethlinus ope Turcarum Tranſylvaniam occupavit. *Arth. Tom. 10. lib. 1.* Anno Chriſti 1614. 15. Februarij ad Varadinum factus eſt terræmotus. Francofurti ad Mœnum exitioſæ turbæ exortæ ſunt inter Senatum & cives. Auguſti die 21. Spinola Aquisgranum occupavit, & ab obœdientiam Cæſaris redegit. Idem deinde etiam occupavit Duranum, Mulheimium, Veſaliam. Francofurti ad Mœnum Iudæi ſunt direpti & ſpoliati.

A. C. 1614. Exhibitæ ſunt quatuor Eclipſes. Die 30. Martij horâ tertiâ matutinâ prope caput draconis in gradu 18. min. 40. Arietis, Sol fermè totus obſcuratus eſt ultra 11. puncta: Sed tamen extra noſtrum horizontem.

Anno eodem die 23. Septembris à meridie horâ primâ in 9. gradu Libræ, prope caudam draconis, in 9. domo cœli,

Solis dimidia pars per corpus Lunare re-
ɫta fuit. *D. Samuel Frobergius in Ephemeride.*

Anno ſequenti terræ motus fuit in Auſtriâ & Bohemiâ. *Arthuſius Tom. 10. lib. 3.* Iudæi VVormatiâ ejecti ſunt. VVormatia occupata eſt per Electorem Palatinum. Anno eodem h. e. 1615. Brunſuiga urbs denuò obſeſſa eſt à Friderico Hulderico Duce Brunſuicenſi & Lunæburgenſi.

A. C. 1615. duæ factæ ſunt Eclipſes Solis. Die enim 19. Martij. horâ 7. manè in 8. gradu Arietis prope caput draconis, Sol ultra 11. digitos totus fermè obſcuratus eſt in Aſiâ, Indiâ Orientali & ejuſmodi regionibus.

Deinde eodem anno die 12. Septembr. veſperi mediâ duodecimâ in 29. gradu Virginis prope caudam draconis, iterum Sol totus obſcuratus eſt apud Antipodas noſtros. Minatur hæc Eclipſis magnatibus mortem, bella, ſeditiones & ſimilia. *D. Samuel Frobergius.*

Ano 1616. exarſit bellum inter Venetos & Ferdinandum Archiducem Auſtrię, quod magnâ cum contentione & ve-

hementiâ ab utraq; parte geſtum eſt, donec anno ſequenti menſe Novembri, factis induciis à diſploſione tormentorum, omniq; machinatione hoſtili ceſſatum fuit.

A. C. 1617. Fiunt quinq; Eclipſes, tres in Sole & duæ in Lunâ. Solares nobis non conſpiciuntur. *M. Paulus Nagelius.*

A. C. 1618. die 16. Ianuarij facta eſt Eclipſis Solis.

Anno eodem 11. die Iulii Sol iterùm defecit.

Hoc anno menſe Majo in Bohemiâ proceres quidam in arce Pragenſi per feneſtras præcipites dati ſunt, unde funeſtum illud Bohemiæ bellum exortum eſt. *Arthuſius Tom. 12. lib. 2.* Menſe Auguſto Tampirenſis Comes Cæſareum militem in Bohemiam duxit. Die 25. Auguſti Plura in Alpibus Rheticis terræmotu obruta eſt. *Arthuſius Tom. 12. lib. 2. & 3.* Pilſna nomine Bohemicorum Statuum obſeſſa & capta eſt à Comite Mansfeldenſi. Venetos inſolitus afflixit morbus, quo non pauci correpti perierunt. Similem

morbum Conſtantinopolis fuit experta, peſte ſimul ſingulis diebus mille & quingentos abſumente. Turrenſis Comes in Auſtriam fecit irruptionem.

A. C. 1619. Factæ ſunt duæ Eclipſes Solis & totidem Lunæ. Die 5. Ianuarii veſperi, minutis 12. poſt horam 9. fuit medium Eclipſis Solaris in 5. domo cœli, ubi Sol prope Equuleum & Gallinam paſſus eſt.

Anno eodem die 1. Iulij Sol iterùm defecit minutis 14. poſt horam undecimam, in 10. domo Regiminis, ubi Sol tres horas paſſus eſt. *M. Andreas Güntherus in Ephemeride.*

Hoc anno 19. Auguſti, Bohemi & confœderatæ provinciæ abdicato Ferdinando elegerunt Regem Fridericum Electorem Palatinum. *Arthuſius Tom. 12. lib. 4.* Gabriel Bethlinus Princ. Tranſylvaniæ in Hungariam movet. *Arthuſ. Tom. 13. lib. 1.* Ingens pugna facta eſt ad pontem Viennenſem inter Turrenſem Comitem & Cæſaris militem. Imagines Pragæ ex arcis templo ejectæ. Gabriel Bethlinus Viennam

ennam obſidet. Inter Hungaros & Bohemos ac provincias Bohemiæ incorporatas facta eſt confœderatio.

Anno CHRISTI 1620. die 24. Februarii, Anhaltinus Princeps ingens prælium committit cum Tampirenſi & Bucquoio Comitibus. Diſſidium inter Lunæburgenſes Duces & Civitatem Hamburgenſem exortum eſt ob telonium occupatum. *Arthuſius Tom. 13. lib. 2.* Menſe Aprili Cæſarei milites à Sileſiis & Moravis cæduntur. Menſe Majo Iohannes-Erneſtus Dux Saxoniæ Vinarienſis copias in Belgio collectas Regi Bohemiæ adducit. Cæſar Electori Saxoniæ committit exſecutionem in Bohemos. Dux Bavariæ Cæſaris Commiſſarius Auſtriam cum exercitu ingreditur. Menſe Auguſto Spinola cum milite Hiſpano expeditionem facit in Germaniam: Oppenheimium, Crucenacum & alias Imperij urbes occupat. Anhaltinus Tampirenſem in caſtris opprimit Elector Saxoniæ expeditionem facit in Luſatiam, & Budiſſinam expugnatam cepit menſe Septembri.

Menſe Octobri Tampirenſis Comes Poſonium tentans interfectus eſt.

Die 8. Novembris pugna facta eſt inter Cæſareos & Bohemos ad Pragam, quâ victis Bohemis Rex eorum cum conjuge fugam in Sileſiam arripuit.

A. C. 1620. factæ ſunt Eclipſes quatuor in Sole, & duæ in Lunâ. Solares in noſtro horizonte non potuerunt conſpici: Et ex illis duæ fuerunt inſigniores. Die enim 25. Decembris anni 1619. meridie horâ nonâ, in 14. gradu Capricorni, 10. digitis h. e. minus duobus digitis totus Sol defecit. Anno verò 1620. die 2. Iunij manè horâ 5. apud caudam draconis in gradu 9. Cancri ad 9. digitos Sol obſcuratus eſt, *ut habet Calculus M. Nagelij.*

Anni 1620. finientis intenſiſſimum fuit frigus, quod uſque ad æquinoctium vernum ſequentis anni duravit, & fruges hyemales circa Hercyniam enormiter læſit, ut ager hybernus magnâ ex parte denuò vertendus & conſerendus fuerit, magno cum agricolarum damno. Inde magna annonæ raritas & caritas invaluit,

ut circa D. Urbanum, qui nimis longè adhuc à meſſe abeſt, venerit Northuſanus modius tritici 2. vallenſibus, ſiliginis 2. florenis, hordei 1. vallenſi, avenæ 1. floreno. DEUS miſereatur plebis paupercculæ, cui labores manuum ad victum non ſufficiunt.

A. C. 1621. fiunt Eclipſes quatuor: ſed ex illis duas ſaltem noſter exhibet horizon. Die enim Maji undecimo, manè horâ ſeptimâ min. 36. Sol defecit 10. digitis 30. minutis apud caudam draconis in 30. gradu Tauri, & ſic præter digitos unum & dimidium totus Sol obſcuratus eſt. Portendit hæc Eclipſis famem, bellum & peſtem.

Die 19. Novembris manè horâ tertiâ apparebit nobis brevis Eclipſis digitorum quatuor, ut aſſerit *M. Paulus Nagelius.*

A. C. 1622. in noſtro horizonte nulla apparebit Eclipſis. In quibuſdam verò Inſulis Sol bis horribiliter obſcurabitur, primò undecim, ſecundò duodecim digitis, ubi Solis corpus totum nigreſcet.

Et hinc iſtis in locis multa mirabiliter evenient, & pœnarum exempla non deſient. *Nagelius.*

A. C. 1623. futuræ ſunt Eclipſes quatuor, duæ Solares & totidem Lunares. In noſtro horizonte ſaltem una Lunaris conſpicietur; Reliquæ tres infra noſtrum horizontem videbuntur: Et præcipuè duæ horribiles Eclipſes in Sole fient. Primò enim Sol deficiet digitis 11. ſcrup. 35. ſecundò digitis 11. ſcrup. 49. Sicuti etiam anno 1624. iiſdem populis exteris Sol ter obſcurabitur. *Nagelius.*

# DE ECLIPSIBVS LVNARIBVS

## *Diſſertatio methodica & ſimplex.*

Luna eſt corpus craſſius, utpote vicinius Elementis aëri, aquæ, terræ, hinc non ſuo, ſed alieno lumine lucet, videlicet perfuſum à Sole eâ parte, quâ Soli obverſum eſt. Atq; hinc fit Eclipſis Lunæ,

næ, cum Luna privatur lumine Solari, ob interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam ex diametro factam.

Eſt autem etiam Lunæ obſcuratio vel totalis vel partialis. Totalis obſcuratio Lunæ eſt, cum tota Luna obſcuratur; quæ univerſalis eſſe poteſt, hoc eſt, ab omnibus terræ incolis ex æquo videri. Cum enim terra longè major ſit quàm Luna, poteſt umbrâ ſuâ totam Lunam obſcurare. Totalis obſcuratio fit dupliciter, fit enim cum morâ aut nullâ, aut aliquâ: Eâq; vel mediocri vel maximâ.

Sine morâ fit obſcuratio totalis, cum tota quidem Luna obſcuratur, ſed habet latitudinem tanto minorem umbræ ſemidiametro, quanta eſt ipſius Lunæ apparens ſemidiameter. Tunc enim ingreſſa toto corpore umbram, eam extremitate ſui corporis ſtringit: Itaq; ſtatim iterum egreditur, & videri incipit.

Cum morâ mediocri fit obſcuratio, cum tota Luna obſcuratur, ſed brevi temporis ſpacio; quod fit cum Soli opponitur extra nodos, ubi habet aliquam lati-

latitudinem, ſed minorem ſuo ſemidiametro.

Cum morâ maximâ fit obſcuratio, cum tota Luna obſcuratur, & diutiſſimè in umbrâ manet, quod fit cum lumina opponuntur in ipſis interſectionibus. Tunc enim cum Luna latitudine careat, & umbra terræ in loco tranſitus Lunæ ſpiſſior ſit corpore Lunæ, (eſt enim umbræ ſemidiameter maxima 47. minutorum, Lunæ verò 18.) neceſſe eſt eam diutiſſimè in umbrâ commorari.

Partialis Lunæ obſcuratio ſeu Eclip*ſis* eſt, cum Lunæ pars aliqua obſcuratur. Fit & hoc dupliciter, cum aut medietas obſcuratur, aut medietate plus minúſve.

Medietas Lunæ obſcuratur, cum latitudo ejus æquat ſemidiametrum umbræ in loco tranſitus. Cum enim centrum Lunæ extremam ſuperficiem coni ſtringit, neceſſe eſt dimidium corpus Lunæ immerſum umbræ obſcurari.

Plus medietate obſcuratur, cum latitudinem habet majorem ſuo diametro, ſed minorem ſemidiametro umbræ.

Mi-

Minus medietate obſcuratur, cum latitudo Lunæ major eſt ſemidiametro umbræ, minor tamen ſemidiametris Lunæ & umbræ conjunctis.

Videndum nunc, quando fiat Eclipſis Lunæ. Si Luna ſemper progrederetur ſub Eclipticâ, ut Sol, nec ab eâ in neutram partem deflecteret, ſingulis menſibus Eclipſes Lunæ fierent. Sed Luna non ſemper manet ſub Eclipticâ, verùm recedit ab eâ tam verſus ſeptentrionem, quàm verſus meridiem: Igitur fiunt Eclipſes Lunæ non ſingulis menſibus, ſed tunc cum Soli opponitur in ipſis nodis, vel ab interſectionibus ſeu nodis citrà quindecim gradibus. In hoc enim poſitu latitudinem habet aut nullam, aut minorē minutis 65. Semidiameter enim umbræ maxima eſt 47. minutorū ferè: Lunæ verò ſemidiameter apparens maxima eſt minutorum 18. quæ ſummæ collectæ faciunt 65. Si itaq; latitudo Lunæ ſuperat partes diametrorum conjunctas; nulla pars Lunæ obſcuratur, ſed totum ejus

cor-

corpus extra conum umbræ tranſcurrit, nuſquam illam attingens.

Notentur etiam termini Ecliptici in Eclipſibus Lunaribus: Sunt illi diſtantiæ ab utraq; interſectione viæ Solis & Lunæ tantæ, quantis Luna contactum umbræ vitare poteſt. *Ptolemæus* Lunarium Eclipſium terminos ponit ultra & citra nodos quindecim gradus. Tanto enim intervallo cum Luna Soli ab interſectionibus opponitur, nulla Eclipſis fieri poteſt, Lunæ enim latitudo major eſt ſemidiametris Lunæ & umbræ additis, ut paulò antè dictum eſt. Sed cum intra hoc ſpacium Soli opponitur; aut tota obſcuratur, aut aliquâ ex parte, prout propiùs aut longiùs ab interſectionibus oppoſitio contigerit.

Brevia hæc rudimenta de Eclipſibus Lunaribus ſufficiant: Doctrina earum uberior è libris Artificum petatur.

Quod de effectibus deliquiorum Solarium ſuprà dictum eſt, locum etiam habeat in deliquijs Lunaribus, quarum hiſtorias complures cum brevi eventu-

um

um commemoratione ex optimis ſcriptoribus ſubjicio.

---

# Historiae
# Eclipsium Lunarium,

*Cum Eventuum narrationibus brevibus.*

Anno Mundi 3247. hoc eſt, ante Christum natum 721. anno primo Merodach ſeu Mardocempadi, 29. die menſis Thoth, totalis facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus meminit *Ptolemæus lib. 4. cap. 6.* Claruit autem Ptolemæus Mathematicus inſignis in Aegypto circa annum à Christo nato 134. Imperatore Antonino Pio.

Anno ſequenti ſeu Mundi 3248. ante C. N. 720. anno 2. Mardocempadi, 18. die menſis Thoth, iterum facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus etiam mentionem facit *Ptolemæus lib. 4. cap. 6. 7. & 8.*

Anno Mundi 3249. ante C. N. 719. anno 3. Mardocempadi, paulò ante Autumnum

mnum in fine æſtatis, die 15. menſis Phamenoth, facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus itidem fit mentio *apud Ptolemæum lib. 4. cap. 6.* Harum trium Eclipſium calculum & picturas integras habet *M. Henricus Büntingus V. Cl. in Chronologiâ ſuâ*, ubi etiam hoc annotat, quòd Merodach Baladan ſeu Mardocempadus, cum 12. annos regnaſſet in Babylone, mortuo Aſſarhadone filio Sennacherib, totius Aſiæ & Babyloniæ Monarcha ſit factus.

A.M. 3348 ante C.N. 621. anno 3. Nabuchodonoſaris Magni, facta eſt Eclipſis Lunæ, die 15. menſis Niſan, qui reſpondet 23. Aprilis. Meminit ejus quoq; *Ptolemæus lib. 5. cap. 14. Büntingus* habet hujus Eclipſis calculum & picturam, & adſcribit; Eodem hoc anno, quo facta eſt Eclipſis, *Sadyatten* Regem Lydorum bellum intuliſſe Mileſijs, quod ſex continuis annis geſſerit uſq; ad mortem, & deinde filius Haleattes quinq; præterea annis. *Herodotus lib. 1.*

A. M. 3446. ante C. N. 523. anno 7. Cambyſis, die 17. menſis Aegyptij Phamenoth

menoth, h.e.16.Iulij, defecit Lunæ dimidia pars diametri in Septentrione. Meminit hujus Eclipſis *Ptolemæus libr. 5.cap. 14.* Ejus integrum calculum & figuram exhibet *Büntingus.* Cambyſes inſaniens interfici juſſit fratrem Smerdim: Sororem ſibi nuptam gravidam propter fratris necem lacrymantem interfecit: Prexaſpis filium ſpectante patre ſagittâ trajecit: In Perſiam propter ſeditionem à Magis motã properans ſeipſum vulneravit, & fratris nece miſerabiliter deploratâ mortuus eſt. Smerdes Magus dolo Perſiæ regnũ occupavit & menſibus 7.tenuit, quo occiſo Darius Hyſtaſpis filius ad regni faſtigium evectus eſt. *Herodotus lib.3.*

A. M. 3467. ante C.N. 502. anno 20. Darij filij Hyſtaſpis, die 19. Novembris, facta eſt Eclipſis Lunæ, de qua etiam habet *Ptolemæus lib. 4. cap. 9.* Calculus & pictura hujus Eclipſis eſt apud *Büntingum.* Ariſtagoras Ionum Tyrannus Dario Regi rebellavit: Cyprii defecerunt, & cum annum fuiſſent liberi, à Perſis rurſum ſunt ſubjugati. *Herodotus lib. 5.*

A. M. 3478. ante C. N. 491. anno 31. Darij filij Hyſtaſpis, die 25. Aprilis, facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus etiam *Ptolemæus* meminit *lib. 4. cap. 9.* Ejus calculum & picturam habet *Büntingus.* Ante hanc Eclipſin facta erat pugna Marathonia. Darius igitur certior factus de re ad Marathonem malè geſtâ propenſior ad bellum Græcis inferendum, edixit, ut ſingulæ civitates multò majores quàm anteà copias, naves, equos, & rem frumentariam compararent. *Herod. lib. 7.*

A. M. 3556. ante C. N. 413. anno 19. belli Peloponeſiaci Luna noctu defecit, *ut ſcribit Plutarchus in Niciâ.* Nicias tum cum exercitu ab Athenienſibus miſſus erat in Siciliam contra Syracuſanos. Defecit igitur tum Luna magno metu Niciæ & aliorum, ut ſcribit *Plutarchus,* qui ex imperitiâ vel ſuperſtitione ea expaveſcebant. Quippe Solis quidem circa trigeſimum menſis diem deliquium intelligebat aliquatenùs etiam vulgus ſubeunte fieri Lunâ: Ipſa verò Luna non erat comprehenſu proclive, cujus objectu, &

quem-

quemadmodum in plenilunio repentè tenebris obducatur, varioſq; ſumat colores. Verùm abſurdum arbitrabantur a eſſe, cladiumque oſtentum cœleſte magnarum. *Hæc Plutarchus.* Veruntamen Claſſis Athenienſium circa Syracuſas Duce Gylippo victa eſt, & totus eorum exercitus cum Demoſthene & Niciâ Ducibus interiit.

A.M 3586. ante C. N. 383. die 23. Decembr. defecit in Lunâ parva circuli pars ab ortu æſtivo, *ut meminit Ptolemæus lib.4. cap. 11.*

A.M.3587. ante C.N. 382. die 18 Iunii. defecit Luna ultra dimidiam ſui partem ab Auſtro. *Ptolemæus lib.4.cap.11.*

Anno eodem 12. Decembris tota Luna defecit. *Ptolemæus lib.4. cap. 11.* Harum trium Eclipſium intra ſpacium unius anni factarum calculum & picturam exhibet *Buntingus*.

Peſtis tùm Romam afflixit. Marcus Manlius de Saxo Tarpeio deiectus eſt. *Plutarchus in Camillo.* Lacedæmonij Cadmeam Thebanorum arcem occuparunt,

conjuges & filias honeſtorum civium rapuerunt, & quos voluerunt Thebis expulerunt. *Xenophon lib. 5. Hellen.*

A. M. 3612. ante C. N. 357. Dion Syracuſas occupavit, ejecto Dionyſio. Cum autem ſeſe ad illud bellum inſtrueret in Inſulâ Zacyntho, inter libamina & ſolennia vota defecit Luna. Nec fuit quicquam Dioni novi, eclipticos ambitus, occurrentemq; Lunæ umbram, & objectam Soli terram reputanti. Quia autem milites attoniti erant elevandi, Miltas vates concione advocatâ juſſit eos bono animo eſſe & ſpem optimam concipere: Quippe denunciare Deum defectum cujuipiam rei in præſentiâ illuſtris: Illuſtriꝰ autem nihil eſſe Dionyſij tyrannide, cujus ſplendorem extincturi ſint ipſi, quàm primum Siciliam attigerint. *Plutarchus in Dione & Niciâ.*

A. M. 3638. ante C. N. 331. die 20. Septembr. facta eſt totalis Lunæ Eclipſis. Ejus calculum & picturam exhibet *Büntingus.* Undecimo die poſt hanc Eclipſin Alexander M. victis Darij copiis prope Arbe-

belam, totius Aſiæ Imperio potitus eſt. *Plinius lib. 2. cap. 70. Plutarchus in Alexandro.* Darius ultimus Perſarum Rex ſequenti anno à Beſſo præfecto ſuo occiſus eſt.

A. M. 3768. ante C. N. 201. urbis Romæ 547. die 22. Septembris facta eſt Eclipſis Lunæ. *Ptolemæus lib. 4. c. 11.* Defecit Luna digitis 7. ſcrup. 2. *Büntingus.*

A. M. 3769. ante C. N. 200. urbis Romæ 548. die 19. Martii, facta eſt Eclipſis Lunæ, quæ tota eſt obſcurata. *Ptolemæus lib. 4 cap. 11.* Digiti Ecliptici fuerunt 16. ſcr. 41. *Büntingus.*

Anno eodem die 11. Septembris Luna iterum tota eſt obſcurata. *Ptolemæus lib. 4. cap. 11.* Digiti Ecliptici fuerunt 17. ſc. 47. *Büntingus*, qui trium harum Eclipſium calculum & picturam exhibet. Secutum eſt autem has Eclipſes bellum Macedonicum, quod geſſerunt Romani cum Philippo iſtius nominis ultimo Macedoniæ Rege Perſei fratre.

A. M. 3795. ante C. N. 174. urbis Romæ 579. regni Philometoris Regis Aegy-

pti ſeptimo, die 30. Aprilis, Alexandriæ in Aegypto obſervata eſt Eclipſis Lunæ. *Ptolemæus lib. 6. cap. 5.* Defecit Luna digitis octo ſcrup. 22. ut calculus & pictura *Büntingi* demonſtrat. Hanc Eclipſin ſtatim ſequuta eſt mors Seleuci Philopatoris occiſi ab Heliodoro familiari, paulò antè in templo Hieroſolymitano percuſſo per Angelos, & precibus Sacerdotis Oniæ conſervato, *2. Mac. 3.* Sequuta eſt etiam perſecutio Eccleſiæ, quâ Oniâ ſacerdote excluſo Iaſon frater ſummi ſacerdotii adminiſtrationem obtinuit ab Antiocho Epiphane: Iaſone pulſo & Oniâ interfecto Menelaus ſummum ſacerdotium ab Antiocho emptum invaſit. *2. Mac. cab. 4.*

A. M. 3801. ante C. N. 168. urbis Romæ 585. nocte, quæ fuit inter 21. & 22. diem Iulij, totalis facta eſt obſcuratio Lunæ. Ecliptici digiti fuerunt 15. ſcrup. 12. ut demonſtrat calculus & pictura *Büntingi.* Horribilis hæc Eclipſis prædicta fuit à Sulpitio Gallo Tribuno tunc militum, ſed anno ſequenti Conſule; qui docuit cer-

certo ordine motuum cœleſtium obſcurari Lunam incurrentem in umbram terræ. *Plinius libro 2. capite 12. Livius Decadis 5. libro 4. Plutarchus in vitâ Aemylii Pauli.*

Die hanc Eclipſin ſequenti Perſeus à Romanis victus, & Regnum Macedoniæ in Provinciam redactum eſt. De hac Eclipſi memorabile eſt, quod habet *Plutarchus*, illud lubet adſcribere. Nocte, *inquit*, cum jam cœnaſſent, & quieti ſomnoq; indulgerent milites, Luna obſcurari cœpit, ac deficiente lumine, multiſq; coloribus mutata, tandem nuſquam apparuit. Romanis, ut conſuetudo eſt, tinnitu æris lumen ejus revocantibus, & ignes multis facibus ad cœlum tollentibus, nihil ſimile à Macedonibus factum, ſed metus & horror caſtra eorum habebat, ac ſermo clam per multos ierat, defectum Regis per id oſtentum ſignificari. *Hactenùs Plutarchus.*

Cæterùm ſtultam hanc perſuaſionem & conſuetudinem de Lunæ deficientis lumine clamoribus revocando, fuiſ-

ſe etiam ap. Auditores *D. Auguſtini*, apparet *ex Serm. illius 215. de Tempore*, ubi illam ut impiam & ſacrilegam fugiendam monet.

Prænunciavit etiam hæc Eclipſis & Cometa, qui eodem tempore exarſit & hirci nomine dictus fuit, perſecutionē populi Iudaici ſub Antiocho Epiphane. Coactus ille tunc excedere Aegypto, cum exercitu aſcendit Hieroſolymam, eamq́; occupavit, Menelao Sacerdote cives intra urbem cædente, & hoſti portas aperiente. Tridui ſpacio in urbe ſævitum eſt, octoginta hominum millibus interfectis, & aliquot millibus captivis abductis. Antiochus ingreſſus ſanctiſſimam templi partem, vaſa ſacrata cum 1800. talentis h. e. fermè undecim auri tonnis ex Gazophylacio abſtulit. Pecunia iſta partim donata erat templo, partim à viduis & orphanis ibi depoſita. Poſt biennium Iovis Olympij ſtatuam in ſacratiſſimâ templi parte collocari juſſit.

A. M. 3827. ante C. N. 141. die 27. Ianuarij ante mediam noctem Luna tribus digi-

digitis ab Auſtro defecit. Calculus & pictura eſt apud *Büntingum.*

Eclipſin hanc ſequutum eſt bellum Numanticum & mors Viriati Luſitanorum ducis. *Eutrop. lib. 4.* Mors Ionathæ ſummi ſacerdotis, quem Triphon cum duobus filijs perfidioſè occidit. *1. Maccab. 13.*

A. M. 3924. ante C. N. 45. Urbis Ro. 708. die 6. Novembris tota Luna defecit. Digiti Ecliptici fuerunt 21. ſcrup. 34. Ut docet calculus & pictura *Büntingi.*

Sequenti anno Idibus Martij ſeptimanis 18. & diebus tribus poſt Eclipſin, C. Iulius Cæſar in curiâ Pompeij à LX. conjuratis, de quibus fuerat optimè meritus, 23. vulneribus confoſſus eſt. *Ovidius ultimo libro Metamorphoſεων* hanc Eclipſin recenſet inter prodigia, quæ necem Cæſaris præceſſerunt, ſequentibus verſibus:

*Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,*
*Terribilesq; tubas, auditaq; cornua cælo*
*Præmonuiſſe nefas, Solis quoq; triſtis imago*
*Lucida ſollicitis præbebat lumina terris.*

*Sæpè faces viſa mediis ardere ſub aſtris.*
*Sæpè inter nimbos guttæ cecidêre cruentæ.*
*Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ*
*Sparſus erat, ſparſi Lunares ſanguine currus.*

Anno CHRISTI nati 15. die 27. Septembr. tota Luna defecit digitis 19. ſcr. 39. Ejus calculus & figura eſt apud *Büntingum*. Facta eſt hæc Eclipſis ſextâ hebdomadâ poſt obitum Auguſti Cæſaris. De hac Eclipſi *Tacitus lib. 1.* in hunc modum ſcribit: Milites deſerunt tribunal Druſi offenſi Cn. Lentulo: Illum hyberna caſtra repetentem circumſiſtunt, ſimul ingruunt, ſaxa iaciunt. Iamq; lapidis ictu cruentus, adcurſu multitudinis, quæ cum Druſo venerat, protectus eſt. Noctem minacem & in ſcelus erupturam fors lenivit: Nam Luna clariore penè cœlo viſa langueſcere. Id miles rationis ignarus omen præſentium accepit, & ſuis laboribus defectionem ſideris adſimulans, proſperéq; ceſſura quæ pergerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum, cornuumq; concentu ſtrepere, prout ſplendidior, obſcurior-

riorve, lætari aut mœrere, & poſtquam certæ nubes offecêre viſui, creditumq; cõditam tenebris, (ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes,) ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora adverſari deos lamentantur. *Hæc Tacitus.*

Quæ mala autem hanc Eclipſin ſequuta ſint, colligi poſſunt *ex Corn. Tacito & aliis.* Exarſit enim bellum Germanicum, quo Harminii Cheruſcorum Ducis conjunx uterum ferens à Romanis capta eſt.

A. C. 34. die Aprilis 3. Sol contra naturam in medio cœli lucem amiſit, & Luna, cum niſi à Sole illuminetur, lucere nõ poſſit, illo deficiente in imo cœli apud Antipodes lucem amiſit juxta caudam draconis, cum Dominus noſter IESUS CHRISTUS venenatam caudam & ictum draconis ſive ſerpentis antiqui ſentiret in arâ crucis. Defecit tum Luna digitis 7. ſcrup. 31. ut demonſtrat calculus & pictura *Buntingi*, qui addit; hanc Eclipſin, quòd naturalis eſſet, & inter miracula numerari

rari non poſſet, ab Evangeliſtis non eſſe annotatam.

A. C. 125. die 5. Aprilis, Luna defecit digitis 2. ſcrup. 45. h. e. ſextâ diametri ſui parte ab Auſtro, ut demonſtrat calculus & pictura *Büntingi*.

A. C. 133. qui eſt Adriani 17. die 6. Maji obſervata eſt Eclipſis Lunæ *à Ptolemæo lib. 4. c. 6.* Deficientis Lunæ fuerunt digiti 13. ſcrup. 3. tota igitur defecit, ut videre eſt in calculo & picturâ *Büntingi*.

Hanc Eclipſin ſequuta eſt ultima clades Iudæorum, quâ Pſeudomeſſias Bencochab, qui deinde Bencosba dicebatur, victus & occiſus eſt. Hoc bello dicuntur occiſa quinquies centena Iudæorum millia. Reliqui vel magno numero fame, peſte, ſiti & inteſtinis ſeditionibus interierunt, vel ex totâ Palæſtinâ ejecti ſunt.

A. C. 134. die 20. Octobris horis post meridiem 9. ſcrup. 39. Eclipſis Lunæ obſervata eſt à *Ptolemæo*. Defecit autem Luna digitis 10. ſcr. 50. à Septentrione, ut demonſtratur in calculo & picturâ *Büntingi*.

Hanc

Hanc Eclipſin ſequutum eſt bellum, quo Pharaſmanes Alanorum ſeu Maſſagetarum Rex Cappadociam, Armeniam & Mediam igni & ferro vaſtavit. *Xiphilinus.*

A.C. 682. facta eſt Eclipſis Lunæ pœne eodem tempore, quo Sol deliquium paſſus eſt. Vide Eclipſin Solis iſtius anni, cum effectu ejuſdem.

A.C. 683. 16. Aprilis, veſperi poſt cœnam Domini, inter 16. & 17. Aprilis ſeu 16. Aprilis horis à meridie elapſis 11. ſcrup. 30. Luna cœpit obſcurari, & ſanguineum vultum præ ſe tulit uſq; ad Gallicinium. *Hiſt. Eccleſiaſtica cent. 7. cap. 13. ex Libro Paſchali.* Tota Luna fuit obſcurata digitis 17. ſcrup. 12. ut demonſtrat calculus & pictura *Büntingi.*

Poſt hoc deliquium Lunæ die 73. obijt Leo II. Pontifex Romanus. Ezid quoq; Saracenorum Amiras paullò pòſt extinctus eſt. Anno ſequenti Heraclius Cæſar obiit. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 715. Gregorij 2. tempore, indictione 14. Luna Eclipſin paſſa, viſa eſt quaſi cru-

ſi cruenta à primâ uſque ad tertiam vigiliam noctis, ſeu uſq; ad mediam noctem. *Martinus in Chronico. Platina in vitâ Gregorij 2. Sabellicus Enneadis 8. lib. 7.*

A. C. 778. menſe Ian. factæ ſunt duæ Eclipſes, altera in Sole, altera in Lunâ. *Hiſt. Eccl. cent. 8. cap. 13.* De effectu harum Eclipſium legatur in Eclipſibus Solaribus.

A. C. 806. nocte inter 1. & 2. Septembris facta eſt Eclipſis Lunæ. Sole in 16. parte Virginis, Lunâ in 16. parte piſcium exiſtente. *Annonius.* Defecit Luna digitis 15. ſcrup. 37.

A. C. 807. die 26. Februarij iterum facta eſt Eclipſis Lunæ, Sole poſito in 11. parte Virginis, & Lunâ in 11. parte piſcium. *Annonius.* Defecit Luna digitis 13. ſcrup. 27.

Eodem anno die 22. Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ, Sole exiſtente in 5. parte Virginis & Lunâ in 5. parte piſcium. *Annon.* Defecit Luna digitis 12. & ſcrup. 3. ut demonſtrat *Buntingus*, apud quem trium harum Lunarium Eclipſium calculus & pictu-

pictura extat. Atq; ita ab anni ſuperioris Septembri, uſque ad anni præſentis Septembrem Luna ter obſcurata eſt tota, Sol ſemel ex parte. *Cent. 9. cap. 13. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ex Reginone & Annonio illas Eclipſes recenſet.*

Quid portenderint Eclipſes hæ frequentes, docent hiſtoriæ. Nicephorus Imp. orientis ſuſcepit expeditionem in Bulgariam, quæ cum minùs feliciter cederet, ſævire cœpit in proprios commilitones. Carolus M. Imp. occidentis emiſit filium Ludovicum contra Saracenos Hiſpaniam depopulantes. Saraceni Rhodum ingreſſi exſpoliarunt. De alijs eventibus legatur in Eclipſi Solari.

A. C. 809. die 26. Decembris facta eſt Eclipſis Lunæ totalis *teſte Reginone & Annonio.* Defecit autem Luna digitis 16. ſcrup. 26. ut demonſtrat pictura & calculus *Buntingi.* Paulò ante & poſt hanc Eclipſin Nicephorus Imp. ita ſæviit in ſubditos ſuos, ut nonnulli in exilium acti per deſperationem ſibi mortem intulerint. *Annal. Conſt. lib. 24.*

A. C.

A. C. 810. die 21. Iunij facta eſt Eclipſis Lunæ totalis, defecit enim Luna digitis 22. ſcrup. 45. ut videre eſt ex picturâ & calculo *Büntingi.*

Hanc Eclipſin ſequuta eſt mors Pipini f. Caroli M. Regis Italiæ, qui hoc anno die 8. Iulij obijt.

A. C. 810. noctu inter 14. & 15. Xbris facta eſt Eclipſis Lunæ, quæ digitis 12. tota defecit, ut oſtendit pictura & calculus *Büntingi.* Hanc Eclipſin ſequutum eſt bellum Bulgaricum, in quo Nicephorus Imp. crudelis & avarus cum exercitu interiit; Stauracius filius in dextrâ parte colli vulneratus vix auffugit, & propter deformitatem coactus eſt abdicare Imperium, & in Monaſterium ingredi.

A C. 817. Nonis Februarij horâ ſeptimâ veſpertinâ, Luna defecit tota non longè à caudâ draconis in dodecatemorio Leonis.

Hunc totalem Lunæ defectum ſequutum eſt bellum civile, quo Bernhardus filius Pipini, Caroli M. nepos Ludovico Imp. patruo ſuo rebellavit in Italiâ; ſed

ſed deſertus à ſuis tradidit ſe Ludovico cum Pipino filio & tribus ex hoc nepotibus. Sequenti anno excœcatus & monaſterio incluſus eſt. *Paulus AEmylius. Regino.*

A.C. 820. 8. Cal. Decembris horâ noctis 2. defecit Luna tota in dodecatemorio Geminorum, non procul à caudâ draconis. Eodem menſe occiſus eſt Leo V. Imp. Orientis.

A. C. 828. Cal. Iulij primo diluculo Luna in occaſu ſuo tota defecit in caudâ draconis in dodecatemorio Capricorni. *Annonius*. Sequenti anno mortuus eſt Michaël Imperator Orientis.

A. C. 878. 16. die Octobris totalis fuit Eclipſis Lunæ, quæ defecit in dodecatemorio Arietis, non procul à caudâ draconis. *Regino*. Anno ſequenti die 13. Aprilis obijt Ludovicus Balbus Imperator.

A.C. 883. die 23. Iulij horâ 5. poſt meridiem, totalis Lunæ facta eſt Eclipſis. Defecit enim illa digitis 12. ſcrup. 24. ut oſtendit calculus & pictura *Büntingi*. Nordmanni hoc tempore miris modis adflixerunt Galliam.

A. C. 888. die 16. Octobris fuit Eclipſis Lunæ, ut refert *Spangenbergius ex Reginone*.

A. C. 901. noctu inter 2. & 3. diem Aug. *Albategnius* Antiochiæ obſervavit Eclipſin Lunæ, quæ tota defecit ad digitos 13. ſcrup. 38. ut demonſtrat calculus & pictura *Büntingi*. Hanc Eclipſin ſequuta eſt nova ſeditio Regum & Imperatorum in Italiâ, cum Afri Calabriam invaderent. *Platina*.

A. C. 1012. Captâ à Turcis Hieroſolymâ, Luna cruento aſpectu apparuit. *Hiſt. Eccl. cent. 11. cap. 13. ex Sabellico*.

A. C. 1096. 11. die Febr. horâ 5. poſt mediam noctem tota Luna eſt obſcurata in dodecatemorio Leonis, non procul à caudâ draconis. *Sigebertus. Büntingus*.

Anno eodem die 7. Auguſti horâ 8. veſpertinâ, quæ fuit inter 7. & 8. diem Auguſti Luna denuô defecit. Obſcurata eſt autem Luna tota in dodecatemorio Aquarii non procul à capite draconis. *Sigebertus. Büntingus*. Hæ duæ Eclipſes incidunt in tempus expeditionis Chriſtianorum in terram Sanctam.

A. C.

A. C. 1098. Cal. Iulij Luna denuò Eclipſin paſſa eſt. *Hiſt. Eccl. cent. 11. cap. 13.*

A. C. 1099. cum Rama in Palæſtinâ à Chriſtianis eſſet occupata, in ipsâ nocte facta eſt Eclipſis Lunæ, ita ut ex toto à claritate ſuâ deficeret, & in ſanguineũ colorem commutata omnibus timorem afferret, niſi quibus ab aſtrorum peritis hoc ſolamen redderetur: Hoc portentum Chriſtianis non malum omen futurum, ſed Saracenis interitum oſtendere. *Chr. Hieroſolym. lib. 5. cap. 43. Et in id Chronologia Meibomij V. Cl.*

A. C. 1117. die 16. Iunij tota Luna defecit circa principium Cancri, juxta caput draconis, circa mediam noctem, quæ fuit inter 15. & 16. diem Iunii. *Sigebertus. Buntingus.* Paulò antè defuncta eſt Gertrudis Domina Brunſuicenſis, ſocrus Lotharii Imperatoris, ſepulta Brunſuigæ in DD. Petri & Pauli, ubi nunc eſt D. Blaſius. *Chron. Sax.*

Anno eodem die 10. Decembris iterum tota Luna defecit circa mediam noctem intra 10. & 11. diem Decembris, in

dodecatemorio Capricorni, in ipsâ fermè caudâ draconis.

A. C. 1119. 3. Id. Decembris Luna deliquium paſſa eſt, ſanguineo colore ad integram penê horam ſuffuſa. *Hiſt. Eccleſ. Cent. 12. cap. 13. ex Continuatore Sigeberti.*

A. C. 1124. in Purificationis Mariæ feſto Luna paſſa eſt deliquium. Quo multi magni nominis viri exciti, religionis ergò Hieroſolymam petere ſtatuerunt, ſiquidem obnoxij delictis ac criminibus eſſent, quorum veniam conſequi cupiêre. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Hedione.*

A. C. 1135. Eclipſis Solis & Lunæ præter modum facta eſt ante mortem Henrici I. Regis Angliæ. *Polydorus Virg. lib. 11. hiſt. Anglicæ.*

A. C. 1148. Cal. Aprilis, 9. horâ noctis Eclipſis Lunæ apparuit. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13.*

A. C. 1149. nocte inter 25. & 26. diem Martii, horâ 3. poſt mediam noctem obſcurata eſt Luna ultra dimidiam partem diametri ab Auſtro in dodecatemorio Libræ, non procul à caudâ draconis. *Sigeb. Bünt.*

Se-

Sequenti anno Balduinus Rex Hieroſolymorum Aegypti Sultanum memorabili prælio vicit occiſis 5000. hoſtibus.

A. C. 1154. 11. Cal. Iunii in poſteriori Geminorum parte Luna deliquium paſſa eſt. *Continuator Sigeberti.*

A. C. 1155. Dominicâ ante natalem Domini Luna defecit. *Continuator Sigeberti, ut refert Hiſtoria Eccleſiaſtica.*

A. C. 1156. 15. Cal. Iulij, horâ 1. Luna Eclipſin paſſa eſt, ut habet *Continuator Sigeberti & Vincentius.*

A. C. 1160. facta eſt Eclipſis Lunæ, quam obitus Reginæ Franciæ ſtatim eſt ſequuta. *Hiſtoria Eccl. Cent. 12. cap. 13.*

A. C. 1172. Luna bis defecit, nimirum Nonis Martijs primâ horâ noctis. Deinde 4. Calend. Septembris. *Continuator Sigeberti, & ex eo Hiſt. Eccleſiaſtica.*

A C. 1175. Luna bis Eclipſin paſſa eſt. Primò poſtridie Marci Evangeliſtæ horâ noctis primâ. Secundò 14. Calend. Novembris tertiâ noctis horâ. *Continuator Sigeberti.* Sub idem tempus Angliam pè-

ſtis & fames afflixerunt. *Polydorus. Chronicon Saxonicum* has Eclipſes refert ad annum 1177.

A. C. 1176. die 19. Octobris poſt mediam noctem Luna defecit à Septentrione ad 9. digitos circa principium Tauri, non procul à caudâ draconis. *Contin. Sigeberti. Büntingus.* Sequenti anno Fridericus Barbaroſſa Imp. coram PP. Rom. procubuit Venetijs, cujus collo PP. pedem impoſuit.

A. C. 1178 bis defecit Luna, primò 4. Martii, ſecundò 29. Auguſti. *Spang. Chr. Sax. cap. 229.*

A. C. 1179. die 18. Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ, quæ tota defecit in initio Piſcium, juxta caudam draconis. *Contin. Sigeberti. Büntingus.*

A. C. 1181. die 22. Decembris, nocte ſequente horâ 3. facta eſt Eclipſis Lunæ, quæ duravit duas horas. Defecit Luna in principio Cancri ad digitos 4. à parte Boreali non procul à capite draconis. *Cont. Sigeberti. Büntingus.* Bernhardus princeps Anhaldinus circa hoc tempus factus eſt Ele-

Elector Saxoniæ poſt Henricum Leonem remotum; qui Erfordiæ ſupplex factus Friderico Barbar. Imperatori, ipſo ſuadente cum uxore & liberis in exilium triennale abiit.

A.C.1185. menſe Aprili Luna ex parte obſcurata eſt. *Vincentius.*

A. C. 1191. die 20. Novembris Luna ex parte fuit obſcurata. Sequutæ ſunt horrendæ tempeſtates & turbines, pluviæ lapidum, quibus homines, pecudes & fruges admodùm ſunt læſæ. Corvi & aliæ volucres volitando roſtris geſtarunt carbones, iiſque ædificia incenderunt. *Spangenb. Chron. Sax. cap. 235.* De avibus incendiariis iſtis refert etiam *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Vincentio.*

A. C. 1204. die 16. Aprilis facta eſt Eclipſis Lunæ generalis & manifeſta. Tota enim Luna obſcurata eſt juxta caudam draconis in principio Virginis. *Albericus. Büntingus.*

Quatuor diebus ante hanc Eclipſin capta eſt Conſtantinopolis, & ejectus eſt Theodorus Laſcares Imperator. Altero

pòſt menſe declaratus eſt Imperator Balduinus Flandriæ Comes.

A. C. 1216 Sol & Luna defecerunt. *Hiſt. Eccl. ex Continuatore belli Sacri.*

A. C. 1222. Luna paſſa eſt deliquium ab intempeſtâ nocte, uſq; ad ſequentis diei diluculum. *Chron. Hirſaugienſe.*

A. C. 1248. Luna Eclipſin paſſa eſt, & mare limites ſuos egreſſum. *Balæus ex Matthæo Pariſio.*

A. C. 1272. die S. Laurentij completo, h. e. nocte quæ fuit inter 10. & 11. diem Auguſti, facta eſt Eclipſis Lunæ. *Gerhardus Mercator ex vetuſto quodam ſcripto codice.* Defecit Luna dimidiâ parte diametri ab Auſtro juxta nodum devehentem, quem caudam draconis vocant artifices, in dodecatemorio Aquarii. *Büntingus.*

Eodem anno, 16. Calend. Decembris obiit Henricus III. Rex Angliæ.

A. C. 1274. die 23. Ianuarij poſt. 11. horam veſpertinam facta eſt Eclipſis Lunæ, & duravit per tres horas & octo minuta, & eclipſabantur de eâ 8. digiti & 57. minuta. *Mercator. Büntingus*, qui calculum & pi-

& picturam hujus eclipſis exhibet, & demonſtrat digitos 10. ſcr. 33.

Hujus Eclipſis tempore tota Germania ardebat latrocinijs, ſeditionibus, tumultibus & bellis, adeò ut Rudolphus Habsburgenſis Imperator A. C. 1273. electus, inaugurationis cauſsâ Romam ire non potuerit propter occupationes, quibus ſatagebat Germaniæ tranquillitatem reſtituere.

A. C. 1276. Lunæ Eclipſis univerſalis viſa eſt. *Balæus centuriâ 4. cap.60. in Appendice.*

A.C. 1321. circiter, ſeu, ut Græci numerant, Anno Mundi 6829. incipiente, Calendis Septembris Luna prorſus obſcurata eſt: cujus initium adhuc noctu cœpit, duravitq; donec orto Sole ipſa terram ſubiit. Id oſtentum clandeſtinos ſanè dolos ſignificavit, ſed non planè improviſos, qui ad magnam publici ſtatus perturbationem concinnarentur. Poſt ſemeſtre rursùm Luna defecit, colore nubilo & nigro umbræ lumen ejus obfuſcantis, quę à meridionali ejus exorſa parte,

 te,

te, eam uſq; ad 10. digitos texit, quod utiq; calamitatem à meridianâ Romani Imperij parte imminentem portendebat. *Gregoras Roman. hiſt. lib. 8. cap. ult.*

A. C. 1358. facta eſt Eclipſis Lunæ & Solis, quas ſequuta eſt peſtis & terræmotus. *Chron. Saxon.*

A. C. 1406. die 1. menſis Iunij Eclipſis Lunæ facta eſt. *Gobelinus Perſona ætate 6. c. 8.* De ſignificatione hujus Eclipſis legantur, quæ adſcripta ſunt ad Eclipſin Solis eodem anno & menſe factam.

A. C. 1408. Facta eſt Eclipſis Lunæ, & ſimul arſit Cometes. Mures valdè læſerunt fruges. Horrendæ multæ tempeſtates fuerunt in Thuringiâ. *Spang. Chr. Saxon. cap. 305.*

A. C. 1433. horribilis fuit Solis Eclipſis: Apparuit etiam Cometa. Hinc Aſtronomus inſignis Pragenſis Chriſtianus nuncium miſit ad Ladiſlaum Regem Poloniæ, ipſumq; monuit, ut diligentem ſui haberet curam: Multas enim hoc anno fieri conjunctiones Planetarum, & infra terram jam fieri Lunæ Eclipſin, quæ

ma-

magnatibus mortem & Imperiis mutationem portendant. *Chron. Sax.*

A.C. 1457. die 3. Septembris facta eſt Eclipſis Lunæ nocte inter 3. & 4. Septembris. Cujus medium *Iohannes Monteregius* obſervavit prope Viennam Auſtriæ horâ 11. ſcrup. 6. poſt meridiem. Eclipſis hujus totalis, cujus fuerunt digiti 15. ſcrup. 42. calculum & picturam exhibet *Büntingus.*

Sequutum eſt bellum civile in terrâ Lunæburgenſi inter VVilhelmum Ducem Brunſuicenſem & Bernhardum gubernantem terram Lunæburgenſem. Oppidani Lunæburgici gravati ære alieno detraxerunt prælatis in ſolutione ſalinariũ. Prælati ex mandato PP. requiſiverunt VVilhelmi D. Br. auxilium: Illi ſeſe oppoſuerunt Bernhardus D. Lunæb. & Iohannes Epiſcopus Verdenſis. *Chron. Sax. Crantzius lib. 11. c. 37.*

A.C. 1460. nocte ſequente tertium diem Iulij, facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus medium Viennæ in Auſtriâ obſervatum eſt horâ 8. ſcrup. 13. poſt meridiem. *Iohan-*

*nes*

*nes Monteregius.* Defecit Luna ab Auſtro ad digitos fermè tres juxta caudam draconis in dodecatemorio Capricorni. Die 19. poſt hanc Eclipſin obiit Carolus VII. Rex Galliæ.

Anno eodem die 27. Decembris facta eſt Eclipſis Lunæ totalis, cujus medium factum eſt Viennæ in Auſtriâ 16. minutis poſt mediam noctem. *Monteregius.* Defecit tota Luna in Cancro juxta caput draconis nocte mediâ inter 27. & 28. dies Decembris. *Büntingus.*

A.C. 1461. die 22. Iunii, horâ 1. ſcrup. 21. poſt mediam noctem Viennæ in Auſtriâ facta eſt Eclipſis Lunæ. *Monteregius.* Defecit Luna tota in caudâ draconis, in dodecatemorio Capricorni. *Büntingus.*

A.C. 1462. die 11. Iulii completo, & horis 2. ſcrupul. 40. fuit medium Eclipſis Lunaris. Defecit Luna ultra ſeptem digitos juxta caudam draconis in fine Sagittarii. *Büntingus.*

A.C. 1465. die 21. Aprilis facta eſt Eclipſis Lunæ, quam *Iohannes Regiomontanus* Patavii obſervavit, horâ 12. min. 59. noctu *Chr. Sax.*

Die

Die 11. Auguſti iſtius anni obijt Nicolaus Cuſanus anno 63. ætatis. Die 7. Octobris obiit Fridericus II. Elector Saxoniæ, anno ætatis 53.

A. C. 1471. die 2. Iunij, Eclipſis Lunæ obſervata eſt Strigonij à *Monteregio.* Defecit dimidia pars diametri Lunæ a Septentrione juxta caput draconis in fine Sagittarij. *Buntingus.*

Die 5. poſt Omnium Sanctorum obiit Ludovicus Landgravius Haſſiæ. *Spang. Chr. Sax. c. 337.*

A. C. 1478. die 14. Iulij facta eſt Eclipſis Lunæ. Annus fuit ſiccus & ſterilis. Fridericus Dux Lunæburgenſis obiit.

A. C. 1500. poſt Nonas Novembris horâ 2. poſt mediam noctem Luna defecit 10. digitis in parte Boreali. Diſtabat Luna in nodo aſcendente gr. 5. min. 39. ſicut obſervavit *Nicolaus Copernicus. Buntingus.*

Sequenti anno cruces in veſtibus apparuerunt, deſignantes horribilem peſtem, quæ paulò pòſt ſequuta eſt. Henricus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis exercitum conſcrib.bat, ut adjuvaret

At.

Archiepiſcopum Bremenſem contra Friſios & vicinos Principes: qui protinùs Archiepiſcopatu Bremenſi relicto operam ſuam obtulerunt Iohanni Regi Daniæ & Friderico Duci Holſatiæ contra Dithmarſos, & quidem parùm feliciter. Nam in viarum anguſtiis ita à Dithmarſis ſunt excepti, ut multis vel cæſis vel in aquâ ſubmerſis, ipſe Rex cum Duce vix evaſerint. *Meibomius in Chronol. Brunſuic. parte 1.*

A.C. 1504. die 1. Martij facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus finis contigit Noribergæ poſt mediam noctem hor. 2. ſcrup. 12. *Bernh. VValth.* Defecit Luna digitis 12. ſcr. 34. ut patet ex calculo & picturâ *Buntingi.*

Eodem anno geſtum eſt bellum illud cruentum Bavaricum inter Rupertum Palatinum & Albertum Bavariæ Ducem: Quo Bohemi Ruperto auxiliantes ad Ratisbonam victi ſunt acerrimo prælio à Maximiliano Imperatore. Prælio huic interfuit, & Imperatorem in præſenti periculo tutatus eſt Ericus ſen. Dux Brunſ. & Lunæb.

A.C.

A. C. 1506. facta eſt Eclipſis Lunæ in Aquario, quam ſecutus eſt Cometa. *Milichius in lib.2. Plinii c.25.*

A. C. 1509. 4. Nonas Iunij Eclipſis Lunæ facta eſt, Sole in 21. gradu Geminorum exiſtente, cujus medium erat Cracoviæ poſt meridiem ejus diei horis æquinoctialibus 11. ſcrup.36. Defecit Lunæ diameter à parte Auſtrinâ ad digitos 8. Diſtabat Luna à nodo aſcendente grad. 8. min. 50. Anomalia ejus erat grad. 163. ſcrup. 33. Et medius motus major vero grad.1. min. 22. *Copernicus. Buntingus.*

Eodem anno Iubilæus annus à Iulio II. PP. inſtitutus. Terræ motus Italiam quaſſavit. Concuſſa etiam eſt Conſtantinopolis die 14. Septembris. *Sebaſtianus Franco. Chronicon Bavaricum.*

A. C. 1511. die 8. Octobris facta eſt Eclipſis Lunæ, cujus medium Frueburgi ad oſtia Viſtulæ contigit poſt mediam noctem ſcrup. 35. inter 6. & 7. dies Octobris, Sole medio motu in 24. 30. Libræ, vero autem motu in 22. 25. Libræ exiſtente. *Copernicus.*

Se-

Sequenti anno 11. die Aprilis, die Paſchatis, pugna ad Ravennam commiſſa eſt, quâ Iulius II. PP. conflixit cum Ludovico XII. Rege Galliæ. A parte Pontificis cecidiſſe referuntur ad 16. hominum millia. Eodem die & anno Selymus factus eſt Turcarum Imperator, Bajazethe patre podagrâ decumbente, & annos 74. habente, veneno per medicum ſublato. *Iovius.*

A. C. 1515. factæ ſunt tres Eclipſes. Die 19. Ian. Luna ad 12. digitos fuit obſcurata. Duravit hæc Eclipſis horas 2 *min.* 27. Die 12. Iulii noctu inter 11. & 12. Luna iterùm obſcurata eſt, quæ Eclipſis duravit horas 2. min. 24. Tertiò hoc anno defecit Luna die 23. Decembris ad duos digitos. Duravit hic defectus dimid. horæ & 22. minutis.

Hoc anno obiit Ferdinandus Rex Aragoniæ, Caroli V. & Ferdinandi Impp. avus. Franciſcus à Sickingen per triennium miſerè afflixit VVormatienſes. In Hungariâ multa millia cruce ſignata confluunt pugnaturi adverſus Turcas. Cum

au-

autem terræ eſſent infeſti, magno numero trucidati & crudeliter excarnificati ſunt. Annus fuit ſiccus & ſterilis, unde magna annonæ caritas extitit. *Chron. Saxon.*

A.C. 1519. die 6. Novembris horâ 6. à meridie, tota Luna defecit ad 17. digitos. Duravit hic defectus 3. horis & 40. minutis.

A.C. 1522. nocte, quæ fuit inter 5. & 6. diem Septembris unâ horâ cum triente poſt medium noctis, facta eſt Eclipſis Lunæ, ut obſervavit Fruebergi ad oſtia Viſtulæ *Copernicus. Buntingus.*

Die natali CHRISTI, qui inchoavit annum 1523. Rhodii jam ſextum menſem obſeſſi, & Chriſtianorum Regum auxiliis deſtituti, & variis oppugnationibus graviter adflicti, dediderunt ſeſe Solimanno Turcarum Imperatori, pacti corporum & rerum omnium incolumitatem, quam ipſis Turca magnâ cum laude clementiæ & conſtantiæ præſtitit. *Iovius.*

Sequenti anno videlicet 1523. Chriſtianus II, Daniæ regno ejectus eſt, & pro

eo Fridericus I. Rex Daniæ, Goſtavus verò Rex Succiæ factus eſt. *Sleidan. lib. 4.*

A. C. 1525. Factæ ſunt duæ Eclipſes Lunæ. Primò enim die 4. Iulii horâ 10. noctis Luna defecit duobus digitis, ſemihorâ min. 53. Secundò die 29. Decembris, horâ 10. noctis, Luna obſcurata eſt ad 13. digitos horis tribus, minutis 44.

Notabilis eſt hic annus ſeditione & ſtrage Ruſticorum: mutatione ſtatus politici in Boruſſiâ: Morte Friderici Sapientis Electoris Saxoniæ.

A. C. 1529. die 11. Octobris horâ 2. à meridie Luna defecit ad 11. digitos horâ 2. min. 37.

Hoc anno in Germaniâ graſſatus eſt morbus, quem ſudorem Anglicum dixerunt. *Chron. Saxon.*

A. C. 1530. die 16. Octobris 12. horâ noctis Luna defecit ad 16. puncta, tribus horis 50. minutis.

A. C. 1533. die 4. Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ, de quâ extant verſus Philippi Melanchthonis.

*Nox*

*Nox ubi roriferas terris induxerit umbras,*
*Actus & hic fuerit Sole cadente dies:*
*Infectura teget ferrugine Delia vultus,*
*Aethereo fratris lumine caſſa ſui:*
*Ac velut æternas mundo factura tenebras,*
*Incutiet pavidis mentibus ipſa metum.*
*Fallor? an irati portendit numinis iram?*
*Ne superûm vanas eſſe putate minas.*
*Non magis his annis metuendum vidimus ullum*
*Prodigium, veri ſidera ſi quid habent.*
*Infauſtus tenebras ſpectat Saturnus ab ortu,*
*Et tacitâ populos fraude movere parat.*
*Sævus ab Euronoto Mavors te Cynthia terret,*
*Iniuſtiſq; armis impia regna petit.*
*Penè fuit ſimilis fatali Eclipſis in anno,*
*Quo miſerâ cecidit ruſtica cæde cohors.*
*Nos igitur moniti ſignis orare iubemur,*
*Fiat ut irati mitior ira Dei.*

A. C. 1534. die 30. Ian. inter 11. & 12. horam noctis Luna defecit 2. horis 44. minutis. De hac Eclipſi in Epigrammatis ſic habet Philippus Melanchthon:

 *Poſt-*

*Poſtquam hodiè Phœbus fuerit delapſus in undas,*
*Sudanteſq; trahet ſub freta feſſus equos:*
*Lunaq; conſurget per opaca crepuſcula noctis,*
*Aethereas inter conſpicienda plagas.*
*Huius ubi cœlo labetur penè ſupremo*
*Vmbra, tenet nitidum ſanguinolenta caput.*
*Ingentes motus populorum & bella minatur,*
*Hanc prope Gradivi noxia ſtella Comes.*
*Non procul Heſperio Saturnus cardine miſcet*
*In populis fraudes, in populiſq; neces.*
*Iam toties homines cœleſtia numina mentes,*
*Irrita nec poſſunt ſigna tot eſſe, monent.*
*Horrendis nuper tremuerunt motibus Alpes,*
*Et ripam ſenſit Rhenus utramq; quati.*
*Nos igitur ſummi placemus Numinis iram,*
*Vt fiant noſtrâ mitia fata prece.*

A. C. 1536. Orbis Solis & Lunæ obſcuratus eſt. *Camerarius in vitâ Philippi Melanchthonis.*

Sequenti anno initio Martij, Franciſcus Rex Galliæ progreſſus in Atrebates oppidum & arcem Heſdinum obſidet & intra menſem capit. Menſe Iunio Cæſaris

ſaris exercitus Belgicus Sanpaulum oppidum & arcem in Atrebatibus expugnat, præſidiarii ad unum omnes occiſi ſunt. *Sleidanus lib. 10. & 11.*

A. C. 1544. Eclipſes factæ ſunt quatuor. I. in Lunâ facta eſt die 10. Ianuarij horâ 6. matutinâ, ubi tota Luna defecit punctis 12. minutis 46. Duravit hæc Eclipſis tres horas & 28. minuta. II. Eclipſis facta eſt in Sole; de quâ ſuo loco. III. Eclipſis facta eſt in Lunâ die 4. Iulij, dimidiâ horâ poſt octavam veſpertinam, ubi Luna tota ad 17. digitos & 24. minut. defecit. Duravit hic defectus 3. horis, 24. minutis. IV. Eclipſis itidem in Lunâ facta eſt, quæ die 29. Decembris, dimidiâ 7. matutinâ tota defecit punctis 14. min. 18. Duravit hic defectus horis 3. min. 36. Atq; ita hoc anno tota Luna ter fuit obſcurata. *Hæ Eclipſes in Ephemeridibus Stoſleri, Stadii, Cypriani, Leovitii & aliorum cum reliquis ſunt depictæ. Deſcribuntur etiam à Funccio in Chron. Carionis, Büntingo in Chronologiâ & Meibomio in Chronico Brunſuicenſi & Lunæburgenſi parte II.*

Hoc anno poſtridiè paſchatis ad Carignanum oppidum Cæſaris exercitus magnâ ſtrage cæſus eſt, à Gallis. Initio Maji Angliæ Regis exercitus Edinburgum primarium Scotiæ civitatem expugnavit, & arcem in eâ incendit. Sub finem Maji Cæſar hoſtilem exercitum duxit adverſus Franciſcum Regem Galliæ. Angliæ Rex Henricus IIX. cum copiis ingentibus mari trajecto Caletum venit, & Boloniam obſidet, tormentiſq; concuſſam deditione capit. *Sleidanus lib.15. Spang. Chron. Saxon. c. 374.*

Ad eventum Eclipſium harum ita frequentium rectè refertur mors Theandri Lutheri, tertii Eliæ, qui cœleſti doctrinâ à mendis Pontificiis repurgatâ ex mortali hac vitâ in æternam commigravit A. C. 1546. die 18. Februarii.

A. C. 1547. tres factæ ſunt Eclipſes. Die 4. Maji, horâ 10. veſpertinâ Luna defecit ad 8. digitos, horis 2. minutis 30. Die 24. (aliis 28.) Octobris, inter 4. & 5. horam veſpertinam iterum defecit Luna ad 11. digitos, horis 2. min. 40. Tertia Eclipſis fuit

fuit Solaris, de quâ ſuo loco. Secundum Lunæ & tertium Solis defectum hoc carmine deſcripſit *Philippus Melanchthon.*

*Certa Deus toti impreſſit veſtigia mundo,*
*Agnoſci ſapiens conditor unde queat.*
*Nec natas caſures eſſe ars indicat ipſa,*
*Stellarum motus quæ regit atq; vias.*
*Eſſe Deumq; docet menti lux inſita noſtræ,*
*Separat à factis quæ vitioſa bonis.*
*Conſcia corda Dei cum iuſtam vindicis iram,*
*Quolibet admiſſo crimine mæſta, tremunt.*
*Et ſemper culpam pœnæ comitantur atrocem,*
*Etſi ſera, tamen præmia laudis erunt.*
*Non urbs, non regio, non ætas ulla ſeveri*
*Iudicii exemplis, non domus ulla caret.*
*Ac Deus, ut flectat nos ad meliora, ſtupendis*
*Incautos ſignis præmonet ipſe datis.*
*Sæpè timent aliquem conterrita ſidera caſum,*
*Sæpè ingens tellus ceu ruitura tremit.*
*At quos nulla movent venturæ nuncia pœnæ,*
*Cyclopum ſimiles forſitan eſſe volent.*
*Sponſi Penelopes minitantia numina rident,*
*Cum cernunt totâ triſtia ſpectra domo.*
*Cumq; madent tetro ſudantia ſaxa cruore,*
*Et ſubitum Phœbum Cynthia nocte tegit.*

*Mox tamen hunc riſum Sardoum pœna ſecuta*
*eſt,*
*Qualis contempti numinis eſſe ſolet.*
*Nos igitur moniti tollamus lumina ad aſtra,*
*Non aſpernantes ſigna verenda Dei.*
*Heſperias Phœbus cũ cras mergetur in undas,*
*Luna tenebroſum proferet atra caput.*
*Poſtq́; dies aliquot cum jam decreverit orbis,*
*Venit & ad fines, Scorpio, Luna tuos,*
*Horrendâ involvet fratris caligine vultus,*
*Cum iam de cœli culmine mittet equos.*
*Et ſimul in tenebras incurrent Marsq́; Venusq́;,*
*Callidus & fraudum ſtructor Atlantiades.*
*Hei mihi quot motus populi, quantosq́; furores*
*Portendunt tetro ſidera iuncta loco?*
*Et licet aſtra regant homines, regit attamen*
*aſtra*
*Noſter, qui non vult Stoicus eſſe, Deus.*
*Nos igitur, quibus eſt afflicta Eccleſia curæ,*
*Aſsiduè oremus ſupplice voce Deum.*
*Leniat ut clemens hæc tanta pericula nobis,*
*Et ſanet populi vulnera ſæva ſui.*

Annus hic inſignis eſt maximè bello Germanico: *De quo extant libri duo Commentariorum D. Ludovici ab Avilâ & Zuningâ,*

*gâ, à Gulielmo Malinæo Brugenſi Latinè reddi-ti. Hos ipſos libros juſſu Parentis Illuſtriſſimi Henrici Junioris Ducis Brunſ. & Lunæb. Phi-lippus-Magnus in Germanicam linguam tran-ſtulit & parenti inſcripſit, excuſos VVolfen-butteli A.C. 1552.*

A.C. 1548. die 22. Aprilis fuit Eclipſis Lunæ in ſigno Scorpij.

Conſtantia ad lacum Bodamicum à Carolo Cæſare proſcripta coacta eſt ſeſe dedere. Auguſtæ facta eſt Senatus muta-tio. Burdegalæ in Aquitaniâ Guberna-tor Regius propter ſalis vectigal per ſedi-tionem eſt occiſus. Rex miſſo exercitu ſeditionis autores occidit, reliquos coë-git Gubernatorem digitis & manibus ſuis refodere, & in ſummo templo ſplendidè ſepelire. Cives multavit privilegiis o-mnibus.

A. C. 1559. die 16. Septembris facta eſt horribilis Eclipſis Lunæ, cujus initium in his regionibus videri non potuit. Cum Luna deficiens apud nos apparuit, fuit color ejus ſanguineus & ater cum viredi-ne admiſtâ. Defecit Luna 16. digitis. Dura-

vit defectus horis 3. minutis 52. *Chron. Sax. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 395.*

A. C. 1560. die 12. Martii, horâ 4. ante meridiem Luna defecit 4. digitis. Duravit defectus hic 1. hor. 3. minutis.

A. C. 1562. die 15. Iulij, horâ poſt mediam noctem 2. ſcrup. 57. tota Luna defecit, ut *Stadius* Bruxellæ obſervavit. *Büntingus.*

Hoc anno funeſtum exarſit bellum inter Fridericum II. Regem Daniæ & Ericum R. Sueciæ.

A. C. 1565. die 8. Novembris horâ *12.* noctu Luna defecit 11. digitis. Defectus duravit hor. 2. minut. 18. *Chronicon Saxoniæ.* Sequenti anno peſtilentiæ malum Brunſuigam, Hildeſiam, Hannoveram omneſque ferè Saxoniæ urbes duriter adflixit. Idem malum etiam montes Hercyniæ attigit, multis ibi hominibus extinctis.

A. C. 1567. die 18. Octobris facta eſt parva Eclipſis Lunæ, quæ horâ 8. ante meridem ad 1. punctum defecit, durante defectu ſemihorâ, minutis 40. *Chron. Sax.*

A. C. 1570. Duæ fuerunt horribiles Lu-

Lunæ Eclipſes. Die enim 20. horâ 7. poſt meridem Luna defecit 14. digitis. Duratio defectus fuit horarum 3. minut. 43. Die verò 15. Auguſti horâ 9. à meridie Luna iterum defecit digitis 16. Duravit hic defectus horis 3. min. 40. *Chron. Saxon.*

A. C. 1572. die 25. Iunij hor. 9. poſt meridiem Luna defecit digitis 2. Defectus duravit hor. 1. min. 7. *Chronicon Saxonicum.*

A. C. 1573. die 8. Xbris horâ 8. min. 7. facta eſt Eclipſis Lunæ in 21. gradu Geminorum ſupra caput draconis. Initium fuit hora 6. min. 24. medium hora 8. min. 7. Finis hora 9. min. 57. Duravit hic defectus horis 3. min. 33. Obſcurata fuit Luna ad 7. digitos Eclipticos. *D. Simon Heuringius. Chron. Saxon.*

A. C. 1576. die 7. Octobris facta eſt Eclipſis Lunæ in 24. gradu & 34. min. Arietis, non procul à capite draconis, ad digitos 9. min. 48. Initium hujus Eclipſis fuit hora 9. veſpertina; medium hora 11. noctis; finis hora 1. noctis. Color Lunæ fuit ſubniger, cinericius cum rubedine miſtus. *D.*

*He-*

*Hector Mithobius.* Hoc anno in ipſis Hercyniæ montibus, utpote Benniconis Saxo, Eiligerodæ & alibi, valdè ſæviit peſtilentiæ malum.

A. C. 1577. duæ fuerunt Eclipſes Lunæ. Prima facta eſt 3. Aprilis veſperi ſtatim à Solis occaſu & Lunæ ortu in 22. gradu 17. min. Libræ, prope caudam draconis, in noſtro horizonte in 12. domo cœli. Luna tota obſcuratur & ceu carbo igneus & rubens apparet. Duratio hujus Eclipſis eſt hor. 3. min. 42. Secunda Lunæ Eclipſis facta eſt 27. Septembr. ſtatim poſt mediam noctem in medio cœli prope caput draconis, in 13. gradu 18. min. Arietis, in Horizontis noſtri 9. cœli domo. Rurſum tota Luna obſcuratur. Duratio hujus Eclipſis eſt hor. 3. min. 46. *Bartholomæus Schultetus in Ephemeride.*

Dantiſcum à Stephano Rege Poloniæ obſeſſum. Bellum in Galliis inter Regem & Reformatæ Religionis aſſertores maximè efferbuit. Don Iohan de Auſtriâ ex Hiſpaniâ in Belgium venit. Dux Parmenſis Mediomatricum capit & diripit.

In

In Africâ perit cruentâ in pugnâ Sebaſtianus Rex Portugalliæ cum duobus Regibus Feſſanis, A. C. 1578. die 4. Auguſti. Extat *hiſtoria huius belli ex Luſitano ſermone primò in Gallicum: Inde in Latinum tranſlata per Iohannem Thomam Freigium D.*

A. C. 1578. die 16. Septembris horâ matutinâ 1. min. 18. in 2. gradu 16. min. Arietis prope caput draconis, Luna defecit 2. digitis 2. minutis. *Leonhardus Thurneiſerus in Ephemeride.*

A. C. 1580. Luna bis tota defecit: primò die 31. Ianuarii duabus cum dimidiâ horâ ante mediam noctem. Secundò die 25. Iulii, ipsâ horâ meridianâ. *Bartholomæus Schultetus in Ephemeride.*

In ipſo puncto prioris Eclipſis die 31. Ian. factæ diem ſuum obiit Henricus Rex Luſitaniæ, de quo ita ſcribit hiſtoricus: Incidit Rex ſub mediam noctem in deliquium, cum eodem tempore Lun adeliquium pati inciperet; quo deliquio ſeu Eclipſi Lunæ deſinente, & is in vitâ eſſe deſiit. *Arthuſius.* Deceſſit hic Rex ſine certo ſucceſſore. Competitores tamen regnum

gnum multos habuit, ex quibus Philippus Rex Hiſpaniæ obtinuit, victo Antonio notho filio Ludovici Infantis Luſitaniæ. Fuerunt autem Henricus Rex, Iſabella mater Philippi Regis Hiſpaniæ, & Ludovicus Infans Portugaliæ pater Antonii, fratres & ſorores, nati ex Emanuele Rege Luſitaniæ.

A. C. 1581. Luna iterum bis tota defecit. Primò die 9. Ianuarii veſperi horâ 8. min. 29. in 19. gradu 25. min. Leonis. Duravit hæc Eclipſis horas 3. minuta 50. Secundò die 16. Iulij horâ 2. min. 51. manè, in 2. gradu 40. min. Aquarii. Finis hujus defectus fuit hor. 6. min. 56. *M. Valent. Steinmetz, in Ephemeride.*

A. C. 1582. die 8. Ianuarii intra 11. & 12. horam noctis Luna defecit ad tres digitos, 1. horâ 3. minutis. *Chronicon Saxonicum.* De effectu hujus Eclipſis legatur in Eclipſi Solis hoc eodem anno factâ.

Hoc anno die 28. Maji, Conſtantinopoli Mahometes Amurathis Sultani filius, ſedecim plus minùs annorum adoleſcens ſolenni ritu circumciſus eſt, præſen-

ſentibus tum in aulâ Turcicâ, Rudolphi Cæſaris, Galliarum & Poloniæ Regum, & Veneti Senatus cum Perſico, Marocenſi, Feſſano, Tartarico, Tranſylvaniæ, Moldaviæ & Valachiæ Principum legatis. *Arthuſius Tom.3.lib.1.*

A. C. 1584. die 7. Novembris mediâ nocte defecit Luna in ſigno Tauri ſub Plejadibus, ad digitos 17. Initium huius defectus eſt hor. 10. min. 51. medium hor. 12. min. 47. finis hora 2. min. 43. duratio totius defectus eſt horarum 3. minutorum 53. *Samuel Mullerus in Ephemeride.* Eodem hujus Eclipſis momento Papiæ in Italiâ repentinâ morte extinctus eſt Ericus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis. *Buntingus in Chronologiâ.*

Baſilides Moſcorum Tyrannus geſto infeliciter cum Polonis bello, & amiſsâ veteris virtutis opinione, cum exercitu, tormentis, commeatu arcibuſq; & caſtris paſſim exutus eſſet, cum domi filio orbatus, ſuorum captivitatem, excidium, & mortes vidiſſet, morbo ex animi ægritudine contracto anno 1584. deceſſit *Arthuſius Tom.3.lib. 2.*

A. C.

A. C. 1587. die 6. Septembris defecit Luna ad 10. digitos. Cœpit hic defectus horâ 8. veſpertinâ, finiit horâ mediâ ante mediam noctem. Duravit horas 3. minuta 30. *M. Albinus Mollerus in Ephemeride.*

A. C. 1588. die 4. Aprilis, diem ſuum obiit potentiſſimus Rex Daniæ & Norvegiæ Fridericus II. anno ætatis 54. regni 30.

A. C. 1588. die 26. Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ. In fine hujus anni circa natalem CHRISTI, mandato Henrici III. Regis Galliarum occiſus eſt Henricus Dux Guiſius in conſpectu Regis, capti etiam ſunt & trucidati Cardinalis Lotharingiæ cum Epiſcopis Lugdunenſi & Amienſi, aliiſq; multis Ducibus & Principibus. Anno ſequenti die 3. Maji piè defunctus eſt Illuſtriſſimus Princeps, Iulius Dux Brunſ. & Lunæburgenſis, anno ætatis 61. gubernationis 21.

A. C. 1589. die 15. Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ. Initium fuit paulò ante horam 7. medium ante 8. finis fuit hora 9.

Obſcu-

Obſcurata fuit Luna parte ſui tertiâ h. e. ad 4. digitos. *M. Thobias Mollerus.*

A. C. 1590. finiente, die nimirum 30. Decembris facta eſt Eclipſis Lunæ, quæ defecit digitis 9. Initium fuit 5. veſpertina, medium media ſeptima, finis ſeptima. Duratio defectus fuit horarum trium. *M. Thobias Mollerus in Ephemeride.*

A. C. 1591. nocte præcedente diem 20. Decembris, horâ 12. min. 49. Luna defecit. Ingreſſa enim umbram terræ inter Solem & Lunam interpoſitæ horâ 1. min. 52. tota fuit obſcurata ad digitos 21. Horâ autem 4. min. 43. Lucem ſuam recepit. Accidit hæc Eclipſis in gradu 7. Cancri. *M. Thobias Mollerus in Ephemeride.*

A. C. 1592. die 14. Iunii, horâ 10. min. 10. poſt meridiem ad octo digitos defecit Luna, in initio Capricorni prope caudam draconis. Duratio hujus defectns fuit 3. horarum.

Anno eodem die 8. Decembris horâ 7. min. 20. à meridie, dimidia pars Lunæ defecit in Geminis. Duravit hic defectus horas 3. min. 10. *M. Albinus Mollerus in Ephemeride.*

Anno ſequenti Amurathes Imp. Turc. bellum adverſus Chriſtianos Conſtantinopoli & Budæ proclamari juſſit. Et Cæſar contrà ſeſe quoq; ad arma convertit. Eodem anno, die 8. Iulii diem ſuum obiit VValkenredæ Illuſtris & Generoſus Comes & Dominus, Dn. Erneſtus Comes de Honſtein, Dominus Laræ & Clettembergi, familiæ ſuæ antiquæ & laudatiſſimæ poſtremus.

A. C. 1594. die 19. Octobris horâ 6. matutinâ, in 6. gradu Tauri, ad caput draconis, in 6. domo cœlj, facta eſt Eclipſis Lunæ. *Leonhardus Thurneiſſerus in Ephemeride.* Eodem anno ante dies 20. proditione Comitis Hardecci Iaurinum totius orbis Chriſtiani propugnaculum munitiſſimum in poteſtatem Turcorum veniſſet. *Arthuſius Tom. 4. l. 1.*

A. C. 1595. die 14. Aprilis, ad nodum deprimentem ſeu caudam draconis, in 3. gradu Scorpii, in domo mortalitatis, tota Luna lucem ſuam amiſit. Initium Eclipſis fuit paulò ante horam 2. matutinam, medium hora 4. finis paulò ante ſextam.

Anno

Anno eodem die 8. Octobris ultra 18. & dimidium digitos, apud nodum evehentem ſeu caput draconis in 24. gradu Arietis, in domo morborum, manè horâ octavâ, Luna fuit obſcurata. Hæc Eclipſis in noſtro horizonte videri non potuit. *D. Caſparus Bucha.* Hoc ipſo anno die 26. Aprilis piè & placidè vitam hanc mortalem finiit M. Michaël Neander, Cœnobii & Scholæ Ilfeldenſis Antiſtes à multis annis meritiſſimus: De quo verè dici poteſt, quod *Theocritus* de Epicharmo in Epigrammatis ~~de~~reliquit: πολλὰ γὰρ ποτ τὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα, μεγάλη χάρις αὐτῷ.

A. C. 1596. die 2. Aprilis defecit Luna. De effectu huius Lunæ defectus legatur in defectu Solis eodem anno facto.

A. C. 1598. die 11. Februarii manè circiter horâ 7. in Virgine, non procul à caudâ draconis defecit Luna.

Anno eodem die 6. Auguſti iterum defecit Luna in Aquario. *D. David Herlicius in Ephemeride.*

Hoc anno Albertus Archidux Auſtriæ profectus in Hiſpanias, ut Regis ſo-

rorem ſibi matrimonio jungeret, Belgii gubernationem Andreæ Auſtriæ Cardinali; curam belli Franciſco Mendozæ commendavit. Mendoza auſus Germanicum ſolum ingredi occupatis aliquot Ducatus Iuliacenſis urbibus, pedem referre coactus eſt, quòd Cæſar ita mandaret, & quòd Principes Imperii juſtum exercitum conſcriberent & ipſi opponerent.

A. C. 1599. die 31. Ianuarii facta eſt magna Lunæ Eclipſis.

Hoc anno Canaria Inſula ab Hollandis expugnata eſt & direpta. *Arthuſius Tom. 4. lib. 4.*

A. C. 1600. die 20. Ianuarii mediâ ſeptimâ matutinâ, ſub Cancro prope caudam draconis, in 8. gradu Leonis, apud Iovem & Martem in horizonte occiduo defecit Luna. Initium fuit ad quartam horæ partem poſt quintam, medium ad quartam horæ partem poſt ſextam, finis media octava. *D. Caſparus Bucha in Ephemeride.*

Hoc anno die 22. Octobris Caniſia,

locus

locus totius Stiriæ muntiſſimus, in Turcarum poteſtatem venit.

A. C. 1605. die 24. Martii horâ 7. min. 29. â meridie circa 14. gradum Libræ Luna defecit tota præter 6. minuta. Fuit enim defectus punctorum 11. minutorum 54. Initium ei⁹ fuit hora 5. min. 51. finis hora 9. min. 6. â meridie. Duratio fuit horarum 3. minutorum 15. *Martinus Klugius in Ephem.*

Hoc anno ſub initium Auguſti Carolus Sueciæ Dux pôſt Rex, exercitu in Livoniam ducto Rigam obſedit. Sed civibus urbem fortiter propugnantibus, obſidionem menſe Septembri ſolvit, & congreſſus cum Carolo Chotkeviecio Livoniæ præſide ad Kircholmum victus & fugatus eſt prælio cruento, quo ex Suecorum exercitu occubuerunt 9. hominum millia, multi fluminibus abrepti & in fugâ ab agreſtibus trucidati ſunt, capti etiam ſunt propè quingenti cum tormentis 11. & 60. ſignis militaribus. Ex Polonis verò & Livonibus; qui hoſtibus numero longè inferiores erant, centum plus minus deſiderati ſunt, vulneratorum verò

major fuit numerus. *Arthuſius Tomo ſexto.*

A. C. 1605. 17. Septemb. horâ 3. min. 51. ante meridiem ad quartum gradum Arietis, Luna iterum obſcurata eſt ultra dimidiam ſui partem, digitis 8. min. 48. Initium fuit 2. hora, min. 14. finis 5. hora, 30. min. Duravit hic defectus hor. 3. min. 16. *Martinus Klugius in Ephemeride.*

A. C. 1606. Duæ magnæ Eclipſes Lunares extra noſtrum horizontem factæ ſunt. *Iohannes Reinſtein in Ephemeride.*

A. C. 1607. die 3. Martii infra noſtrum horizontem facta eſt parva Eclipſis Lunæ. Sed die 27. Auguſti in 13. gradu Piſcium, viſa eſt Lunæ Eclipſis, quæ cœpit horâ 3. nocturnâ & finiit horâ 5. min. 22. cum duraſſet horis 2. min. 25. Atq; hæc fuit huius anni quarta Eclipſis. *M. Albinus Mollerus. Iohannes Krabbe, in Ephemeridibus.* De eventibus hujus & reliquarum hoc anno factarum Eclipſium legatur in deliquio, quod Sol hoc anno paſſus eſt.

A. C. 1608. fuerunt tres Eclipſes. Inter has die 17. Iulii horâ 12. meridianâ defecit

fecit Luna ad duo puncta, in 4. gradu & 26. min. Aquarii, 10. gradibus & 25. min. ante caudam draconis. Hic defectus in noſtro horizonte conſpici non potuit.

A. C. 1609. factæ ſunt ſex Eclipſes, ex quibus duæ Lunares in noſtro horizonte cõſpectæ ſunt. Die enim 9. Ian. horâ 2. m. 49. noctu Luna defecit ad 10. digitos. Eâdem Luna defecit ad 17. digitos die 6. Iulij mediâ nocte. *M. Albinus Moller. in Ephemeride.*

Anno 1610. Exercitus pro Leopoldo Arch. Auſtriæ in diœceſi Argentinenſi collectus diſſipatur. *Arthuſius Tom. 8. lib. 3.* Henricus IV. Galliæ Rex à Sicario occiditur. *Id. Ib.* Bellum ad Argentinum ab unitis Principibus renovatum. *Id. Ib.* Menſe Iunio pugnâ navali Chriſtiani cum Turcis decertarunt. *Id. ib.* Menſe Iulio Iuliacum eſt obſeſſum. *Id. ib.* Die 8. Sept. Fridericus El. Palat. obiit. *Tom. 8. lib. 4.*

A. C. 1610. die 26. Iunii horâ 5. ante meridiem facta eſt totalis fermè Lunæ obſcuratio, cujus initium tantùm in horizonte noſtro viſum eſt.

Anno eodem die 20. Decembris in

noſtro horizonte Luna obſcurata fuit ultra 6. digitos. Initium hujus defectus fuit hor. 3. medium hor. 4. min. 19. finis hor. 5. min. 36. ante meridiem. Atque hæc fuit quarta huius anni Eclipſis. *M. Albinus Mollerus in Ephemeride.*

An. ſeq. frequentes has Eclipſes Paſſavici milites in Bohemiam irruptione factâ, Pragam ingreſſi & repreſſi. Matthias Hungariæ Rex Pragam cum exercitu ingreſſus Bohemiæ Rex deſignatur. Inter Daniæ & Sueciæ Reges bellum exoritur. Menſe Iulio Smolenſcium Moſcoviæ metropolis à Polonis occupata. Die 23. Iunii Chriſtianus II. diem ſuum obiit. Aquiſgrani ſeditio exorta eſt. Salisburgenſis Archiepiſcope occupata à Duce Bavariæ. Carolus Rex Sueciæ die 30. Octobris diem ſuum obiit. Defunctus etiam eſt Rudolphus Imp. die 21. Decembris. *Arthuſius Tom. 9. lib. 1.*

A. C. 1612. die 4. Maji veſperi horâ 10. defecit Luna. Et præterea extra noſtrum horizontem eadem Luna defecit. *M. Paulus Nagelius in Ephemeride.*

Hoc

Hoc ipſo anno & menſe defectus Lunaris Ordines Confœderatarum in Belgio Provinciarum fœdus fecerunt cum Sultano Turcico. *Arth. T. 9. lib. 3.*

A. C. 1613. die 18. Octobris defecit Luna. Maximè fervet contentio Brandenburgici & Naoburgici Principum de Ducatu Iuliacenſi & aliis eò pertinentibus.

A. C. 1614. die 14. Aprilis manè horâ 4. in 3. gradu Scorpii prope caput draconis, Luna ultra dimidiã ſui partem, ſeu ſupra ſex digitos defecit, in 7. domo cœli.

Anno eodem die 7. Octobris, à meridie 4. horâ Luna defecit ad 4. digitos, ſeu teṛiâ ſui parte, in 23. gradu Arietis prope caput draconis. Initium huius defectus nobis non apparuit, apparuit tamen finis, qui veſperi circa horam 6. in noſtro horizonte factus eſt. *D. Samuel Frobergius in Ephemeride.*

A. C. 1617. habuit quinq; Eclipſes, tres Solares infra noſtrum horizontem, & duas Lunares. Die 10. Februarii Luna defecit 4. horis, qui defectus etiam nobis

non apparuit. Die autem 6. Auguſti veſperi horâ 6. min. 58. Luna iterum defecit in 24. gradu Aquarii ad 4. digitos. Defectus fuit duarum horarum. *M. Paulus Nagelius in Ephemeride.*

Hoc anno per autumnum mures diverſicolores in Miſniâ, Voitlandiâ, Thuringiâ valdè læſerunt fruges.

A. C. 1618. die 30. Ianuarii Luna paſſa eſt deliquium. De frequentium harum Eclipſium effectu legatur ſuprà in Eclipſibus Solaribus eodem tempore factis.

A. C. 1619. Luna bis defecit. Die 17. Iunii primus Lunæ defectus factus eſt, cujus medium fuit 24. minutis poſt horam 12. ubi paſſa eſt Luna minut. 10. ad caput draconis.

Anno eodem die 11. Decembris iterum defecit Luna. Defectus initium fuit poſt mediam noctem horâ 2. medium fuit min. 37. poſt horam 3. finis hora 5. minut. 12. ubi in 8. domo prope caudam draconis Luna eſt paſſa. *M. Andreas Guntherus in Ephemeride.*

Frequentes quidem anni hujus fuerunt

runt Eclipſes, ſiquidem bis Sol & toties Luna defectum paſſa fuit, ut dictum eſt. Iſtarum Eclipſium effectus haud dubiè fuerunt, calamitates & tragica iſta bella, quæ Anno ſequenti acciderunt. Ea ſuprà ad Eclipſes Solares partim ſunt adſcripta, partim huc adſcribuntur.

A. C. 1620. menſe Septembri Turcæ cum nonaginta armatorum millium numero in Poloniam irruptionem parant: His magnus regni Cancellarius cum duodecim Equitum & peditum millibus fortiter occurrit & victus occiditur. *Arthuſius lib. 3. Tom. 13.* Boruſſia & Polonia hoc anno ingens à peſte damnũ acceperunt, adeò illâ Dantiſci & Regiomonti graſſante, ut hominum memoriam illud ſuperaret. Regiomonti malum illud ſingulis ſeptimanis ad mille & centum homines ſuſtulit, ut ab ortu mali uſq; ad ferias S. Martini ultra vicena hominum millia ſublata eſſe certò dicantur.

A. C. 1620. factæ ſunt Eclipſes 4. Solares & duæ Lunares. Solares extra noſtrum horizontem ſunt factæ. Lunares

in

in noſtro horizonte apparuerunt. Die n. 4. Iunii horâ 11. min. 56. noctu tota Luna defecit in 24. gradu Sagittarii. Finiit hæc Eclipſis horâ 3. min. 59. duravit horis. 4.

Anno eodem die 19. Novembris veſperi horâ 4. minut. 37. iterum defecit Luna in 18. gradu Geminorum apud caudam draconis. Duravit defectus horis 3. minut. 54. *M. Paulus Nagelius in Ephemeride.*

An. Chr. 1621. fiunt quatuor Eclipſes, ex quibus in horizonte noſtro apparuerunt duo Solares, de quibus ſuo loco. Die quidem 25. Maji, horâ 7. min. 37. manè Luna obſcurata fuit digitis 10. (ad ſeptentrionem enim 2. digitis non defecit) in 14. gradu Sagittarij. Sed hæc & altera Lunæ defectio in noſtro horizonte non viſa. *M. Paulus Nagelius.*

A. C. 1623. Futuræ ſunt Eclipſ. 2. Solares & totid. Lunares. Ex his in horizonte noſtro ſola Lunaris 1. apparebit d. 5. Apr. manè h. 3. m. 3. ubi Luna deficiet dig. 11. uno ſaltem digito nō obſcurato, in 24. gr. 15. m. Libræ. Altera Lun. Eclipſis in aliis regionibus videbitur, ubi Luna iterum ad 8. digitos obſcurabitur. *M. Paul. Nag.* Hi-

# HISTORIAE COMETARVM

*à M. HENRICO ECKSTORMIO collectæ,* &

Reverendo ac erudito viro, Lucæ Eckſtormio, Monaſterii VValkenredenſis ad Hercyniam Cheruſcorum reformati Cœnobitæ, & Mitovii in Livonum Semigalliâ pro tempore Scholæ Rectori, filio, paterni amoris ergò inſcriptæ.

Do-

DOminus & Salvator noſter CHRISTUS IESUS *Matth. 16.* graviter reprehendit Iudæos hypocritas, qui divinis eius miraculis in terrâ factis fidem non habebant, & inſuper ſigna de cœlo petebant: Faciem, inquit, cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis: h. e. ut interpretatur *Lyra*, Signum alicujus diſpoſitionis futuræ in elementis ex facie cœli dijudicare poteſtis, non autem ſigna temporum definitorum in præſcientiâ DEI de adventu CHRISTI poteſtis per talia judicare, quod ſolummodò dependet ex divinâ diſpoſitione, non ex conſtellatione.

Ὀψίας γενομένης, (inquit idem Dominus,) λέγετε, εὐδία, πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανός: καὶ πρωῒ, σήμερον χειμὼν, πυῤῥάζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός. Veſpere facto dicitis, ſerenitas erit, rubet enim cœlum: Et manè, hodiè erit tempeſtas, triſte enim cœlum rubet. The-

ander

ander Lutherus *(Tom.4.Ien.fol.353. a)* ἀλληγορικῶς hanc ſententiam explicat de miraculis CHRISTI, quæ fiunt in ſalutem credentibus, & in perniciem incredulis; quaſi diceret Dominus: Iam vobis eſt veſpere ſerenum, in quo ſpem poſſetis habere futuræ diei ſalutaris & ſerenæ. Poſteà ſequetur mane turbidum, in quo habebitis timere æternam perditionem. Gloſſa ordinaria aliâ allegoriâ interpretatur de adventu vel paſſione CHRISTI, cui ſimile ſit roſeum cœlum veſpere: Et item de tribulatione ante adventum futurum, cui ſimile ſit roſeum cœlum cum triſtitiâ.

Suum quidem habent locum piæ hæ allegoriæ: Rectè tamen præterea innuunt verba CHRISTI, ſigna ſeu prodigia in cœlo non fruſtrà apparêre, ſiquidem & matutina & veſpertina iſta cœli rubedo naturales ſuas habeant ſignificationes. Quod ſi verum eſt de ejuſmodi nubium coloribus, quin idem rectè ſtatuitur de meteoris, quæ in ſummo aëre generantur, ut ſunt Cometę & phaſmata? Quin idem etiam rectè ſtatuitur de prodigiis,

quæ

quæ fiunt in regione æthereâ in Sole & Lunâ, quas Eclipſes vocamus? Habent enim illæ & naturales & arcanas ſuas ſignificationes, quas omnibus ætatibus eventus è veſtigio ſequuti comprobarunt. Id quod manifeſtum erit legenti has, quas mitto tibi, Luca fili, Eclipſium & Cometarum hiſtorias. Eclipſes Sororiis tuis, Cometas verò tibi meo quodam conſilio inſcripſi, & eam rem vobis gratam fore arbitror. Aeternus pater Domini noſtri IESU CHRISTI regat nos Spiritu ſuo ſancto, ut ſolius ejus honori & gloriæ totâ mente ſerviamus in hac vitâ mortali, & in alterâ eum laudemus & celebremus ſempiternâ.

Vale benè & feliciter.

De

# DE COMETIS

## *Diſſertatio Methodica & ſimplex.*

VOcabulum Cometæ habet originem Græcam: *κομήτης* enim Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ κομάω, quod eſt comam nutrio. Quin etiam *coma* vocabulum Latinorum deductum eſt ἀπὸ τῆς κόμης, quod Græcis capillum ſignificat. *Et Cicero inquit:* Viſis facibus cœleſtibus, tum ſtellis iis, quas Græci *κομήτας*, noſtri Crinitas vocant.

Cometa autem eſt *μετέωρον*, quod motu & radiis ſyderum in ſummo aëre accenditur, & more ſyderum movetur. Quia enim ſumma aëris regio radiis ſyderum circa elementa meantium impellitur, ipſi Cometæ unà cum ipſâ circumaguntur. Ad definitionem hanc rectiùs intelligendam, prodeſt conſiderare cauſſas Cometarum, Efficientem ſcilicet, Materiam, Formam & Finem.

Efficiens Cometarum cauſſa eſt certus ſtellarum poſitus, videlicet infauſtæ ſuperiorum Planetarum conjunctiones & Eclipſes, *ut deſcribit Milichius in Plinium lib. 2. c. 25. quod Freigius lib. 25. quæſt. Phyſ. ſic explicat.* Efficiens Cometarum cauſſa eſt lumen cœleſte attrahens magnam fumi copiam & inflammans: ortum ab aliquo certo ſtellarum poſitu, id eſt, infauſtâ ſuperiorum Planetarum conjunctione & Eclipſi, præcipuè verò cum concurrunt. Vt cum Saturnus, Mars & Mercurius Solem & Lunam infauſtis aſpectibus in Eclipſi intuentur: præſertim cum præceſſit etiam aliqua infauſta ſuperiorum conjunctio. Atq; ex his cauſſis venturum Cometen anno 1532. prædixit *Apianus*. Et hæc cauſſa eſt Phyſica ſeu Aſtrologica, præter quam alia eſt Arcana. Etſi enim Cometæ tum exiſtunt, cum ſunt aliqui inſignes & atroces ſyderum poſitus: Tamen cum ipſi divinitùs aliquid portendant, conſentaneum eſt divinâ quadam vi etiam congruentes tunc ſignificationes in materiâ & elementis excitari.

Mate-

Materia Cometæ ſunt fumi, id eſt, fiſcoſi & lenti halitus commixti, qui tandem motu & ſyderum radiis incenduntur. Interdum autem tanta copia fumi attrahitur, ut moles montem unius aut alterius milliarii æquans, multorum dierum incendio ſufficiat, & flammam aliquot climatibus conſpiciendam præbeat.

Ad Materialem cauſſam maximè pertinet quæſtio, an Cometæ ſint ſtellæ. Stellas autem non eſſe confirmatur primo autoritate eruditorum Phyſicorum. *Epigenes enim, teſte Senecâ lib. 7. quæſt. natur. ait,* Chaldæos affirmaſſe, Cometas non eſſe ſtellas. Deinde ſunt eius rei certa & firma argumenta ſumpta ex materiæ proprietatibus & ſtellarum ſpeciebus. Illa cum contrariorum refutatione legantur apud *Milichium in lib. 2. Plin. cap. 25. & Freigium lib. 25. quæſtionum Phyſicarum.*

Ad Materiam pertinet etiam durationis tempus: pro materiæ enim copiâ conſentaneum eſt incendium durare. *Plinius ſcribit lib. 2. cap. 25.* Breviſſimum quo

cernerentur ſpacium, 7. dierum annotatum eſt, longiſſimum 180. ut legendum putat *Milichius*.

Forma Cometæ eſt ipſa flamma ardentis halitus, quæ procul ſparſa efficit comæ ſpeciem: Et quoniam diſſimiliter ſpargitur, variæ figuræ annotatæ ſunt. *Apud Ariſtotelem* 2. tantùm ſunt ſpecies, κομήτης καὶ Πωγωνίας, Crinita & Barbata. Crinita eſt, cum flamma æqualiter ſpargitur circa corpus: Barbata, cum flamma in longum porrecta eſt. Ad has duas ſpecies reliquæ accommodari poſſunt; longiores ad Barbatam, reliquæ ad Crinitam.

*Apud Plinium dicto loco* hæ ſunt appellationes.

Κομήτης, Crinita, horrens crine ſanguineo, & comarum more in vertice hiſpida.

Πωγωνίας, Barbata, cui ex inferiore parte in ſpeciem longæ barbæ juba promittitur.

Ἀκοντίας, quæ jaculi modo vibratur.

Ξιφίας, vicina priori, brevior tamen & in mucronem faſtigiata; omnium pallidiſ-

lidiſſima, & quodam gladii nitore, ac ſine ullis radiis.

Διοκεὺς, à rotundâ diſci figurâ, colore ſimilis electro, radios raros è margine emittit.

Πιθέτης, doliorum figura, in concavo fumidæ lucis.

Κερατίας, Cornuta, qualis fuit cum Græcia apud Salamina depugnavit.

Λαμπαδίας, ardentes faces imitata.

Ἱππεὺς, imitata equinas jubas.

Sed præter has Cometarum formas etiam aliæ apparuerunt: Viſi enim ſunt Cometæ, quarum alii habuerunt formam Pavonis cum caudâ, alii trabis ardentis, alii ſerpentis ſeu draconis cum ignitâ caudâ, ut ex hiſtoriis palàm fiet.

Finis Cometarum eſt ſignificatio, quæ potiſſimùm movet animos, & admirationem præcipuè Cometis peperit. Eſt autem duplex Cometarum ſignificatio, Phyſica & Prodigioſa.

Phyſica eſt, quâ Cometæ ſignificant tempeſtates, ut vehementiores ventorum flatus & ſiccitates inuſitatas: aut vitia

aëris, peſtiferaſq; qualitates, quas ſequitur frugum corruptio & animantium interitus. Hæc autem non ſignificant tantùm, ſed etiam efficiunt. Nam fumi illi poſt incendium diſſipati ventos augent; & cum ſint ſicci & venenati, ſiccitates afferunt, aërem inficiunt, terras cineribus complent, *ut innuunt verſus Sibyllini, quos ex lib. 3. oraculorum ſubijcio*:

Ὁππότε κεν ῥομφαῖαι ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι
Ἐννύχιαι ὀφθῶσι πρὸς ἑσπέραν, ἠδὲ πρὸς ἠῶ,
Αὐτίκα καὶ κονιορτὸς ἀπ' οὐρανόθεν προφέρηται
Πρὸς γαῖαν πᾶσαν.

Prodigioſa verò & arcana ſignificatio eſt, quòd portendunt clades populorum, mutationes Imperiorum & Regum interitus: deniq; eventus in hominum negotiis. Aſtrologi igitur ſignificationem & cauſſas ad eas ſtellas referunt, quarum vi excitatur Cometa, & in genere monent, Cometas imitari naturam Martis & Mercurii, ideoq; ſignificare bella, æſtus & tumultus. Iubent etiam conſiderare ſtellas, quæ excitarunt materiam, aut eam ſuo motu trahunt: & ſub quo ſigno Zo-

diàci

diaci inflammetur, & quæ Zodiaci ſigna peragret.

De ſignificationibus Cometarum noti ſunt verſus *Maronis*, qui extant *10. Aeneidos.*

*Non ſecus ac liquidâ ſi quando nocte Cometæ*
*Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:*
*Ille ſitim, morboſq; ferens mortalibus ægris*
*Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cælum.*

Et *1. Georgicorum.*

— *v v Nec diri toties arsêre Cometæ.*

Noti etiam ſunt verſus *Lucani, lib. 1.*

*Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes,*
*Ardentemq; polum flammis, cæloq; volantes*
*Obliquos per inane faces, crinemq; timendi*
*Sideris, & terris mutantem regna Cometen.*

*Claudianus lib. 4. de bello Gothico* inquit:
*Et nunquam in cælo ſpectatum impunè Cometē.*

Et *lib. 1. de raptu Proſ.* ita habet:

——— *Augurium qualis laturus in orbem*
*Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes*
*Prodigiale rubens. Non illum navita tutò,*
*Non impunè vident populi, ſed crine minaci*
*Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.*

Extant etiam verſus *Arati:*

Ὄφρα τις εὐετοῖ χαίρη ποτιδέγμενος ἀνήρ.
Μηδ' εἶεν καθύπερθεν ἐοικότες ἀστέρες αἰεὶ,
Μήθ' εἷς, μήτε δύω, μήδε πλέονες κομόωντες.
Πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' αὐχμηρῷ ἐνιαυτῷ.

Eos ita interpretatus eſt *Cicero*, *Milichio teſte:*

*At ſi contigerit plures ardere Cometas,*
*Invalidas ſegetes torrebit ſiccior aër.*
*Nam quæ prorumpunt naturæ legibus ultrò*
*Spiramenta ſoli, ſi juſtus defuit humor,*
*Arida per cælum ſurgentia, deſuper atra*
*Igneſcunt flammis, mundiq́ue impulſa calore*
*Excutiunt ſtellas, & crebro crine rubeſcunt.*

Idem *Cicero lib. 2. de naturâ Deor.* graviter ſcribit: Ab ultimâ, inquit, antiquitatis memoriâ notatum eſt, Cometas ſemper calamitatum prænuncios eſſe.

Addo huc quod in Symbolis ſuis Heroicis ſcribit *Paradinus ex Ariſtotele:* Tradit, inquit ille, Ariſtoteles, ſicuti perpetuò hactenùs mortalibus ipſis, aut proſperrimum fortunæ ſucceſſum, aut ſummum aliquod detrimentum portenderit novus quivis Cometes, ſic à novi Principis

cipis adminiſtratione in Rempubl. ferè vel immenſam felicitatem vel exitium invehi. *In caudatâ Stellâ, quam pro ſymbolo uſurpavit Clemens VII. PP.*

Sed videamus; quid eâ de re ſenſerint homines proximi ſeculi tam religioſâ pietate & ſanctitate, quàm eximiâ eruditione maximè conſpicui.

*Theander Lutherus in enarrat. Geneſ. cap. 9. fol. 114. inquit:* Cum Deus vult, ardet Cometa in ſignum terroris. Sicut cum vult, refulget in cœlo Iris ſignum gratiæ. *Idem in Poſtillationibus Eccleſiaſticis ſuper Evangel. 2. Adventus:* Die Heiden ſchreiben / der Comet erſtehe auch natürlich / aber Gott ſchaffet keinen / der nicht bedeute ein gewiß Vnglück. *Et ſuper Evangel. diei Magorum:* Du ſolt auch wiſſen / wenn die Sonne den Schein verleuret / daß gewiß ein böſe Zeichen ſey / da ein Vnfall nach kommen wird. Deſſelbigen gleichen / wenn der Comet / der Schwantzſtern ſcheinet / denn alſo leret die erfahrung / darzu Chriſtus *Luc. 21.* ſagt / daß ſolche Zeichen in der Sonnen /

Mond vnd Sternen ſeyn ſollen / die das letzt Vnglück der Welt bedeuten.

*Philippus Melanchthon lib. 1. doctr. Phyſicæ inquit:* Cometæ ſiccitates, peſtilentias, magnos Gentium motus & mutationes Imperiorum ſignificant.

Notus eſt verſus *Ioach. Camerarii.*

Ὀυδεὶς κομήτης, ὅςις ὀ κακὸν φέρει.

*In lib. 3. hiſt. Georg. Pachymerii* ſic legitur.

Ουδεὶς κομήτης ὅςις ὀ φύσ κακὸς.

*Iacob. Milichius in lib. 2. cap. 25. Pliniÿ ſcribit:* Receptum eſt omnium ſeculorum conſenſu, Cometas prodigia eſſe. Et barbaries quædam eſt, eiuſmodi ſigna & prodigia temerè aſpernari. *Idem ibid.* Obſervatio multorum ſeculorum teſtatur, magnas clades orbi terrarum, excidia civitatum, regnorum mutationes, & alias publicas calamitates per Cometas denunciari.

*Peucerus in Divinationum loco de Meteorologiâ inquit:* Si hiſtoriæ recentes & antiquæ evolvantur: Incendia Cometarum nunquam ſine terrore ingenti illuxiſſe.

nun-

nunquam ſine calamitatibus deflagraſſe apparebit.

Noti etiam ſunt verſus *Pontani.*

*Ventorũ quoq; certa dabunt tibi ſigna Cometæ,*
*Illi etiam belli motus, feraq; arma minantur,*
*Multorum & clades populorum & funera Regũ.*

Notus etiam eſt hic verſus:

*Funera, bella, Famemq́; ferunt, Ventoſq́; Cometa.*

Sed progredior nunc ad Cometarum hiſtorias, quibus manifeſtum fiet, quæ mala ad viſos Cometas ſint ſequuta. Integram autem de Cometis doctrinam Phyſicarum rerum Studioſi petant ab ijs, qui artem hanc ex profeſſo antiquitùs tradiderunt, & etiamnum tradunt.

HI-

# HISTORIAE COMETARUM

## *Cum eventuum narrationibus brevibus.*

ANno Mundi 1657. h. e. ante C. N. 2312. cum Noha natus eſſet annos 600. Diluvium totam terram obruit. Apparuit tum Cometa in piſcibus ſub Iove, qui ſpacio dierum 29. omnia Zodiaci ſigna perluſtravit. Refert *D. David Herlicius in deſcriptione Cometæ A. C. 1607. conſpecti.*

A. M. 2018. ante C. N. 1949. cum Abraham eſſet annorum 70. in Chaldæâ apparuit Cometa in Ariete ſub Marte, qui viſus eſt diebus 22. *Referente eodem Herlicio ibidem.*

A. M. 2128. h. e. ante C. N. 1841. In Aegypto apparuit Cometa in ſigno Leonis, cum ſequuta eſt annonæ caritas tempore Iſaaci, cujus mentio fit *Gen. cap. 26. David Herlicius Med. in deſcriptione Cometæ A. C. 1607. viſi.*

A. M.

A. M. 2237. ante C. N. 1732. per Arabiam inſtar rotæ Cometa apparuit circa Sagittarium ſub Iove, qui ſine dubio portendit famem, de quâ eſt in hiſtoriâ Ioſephi: Ejus enim iſto anno factum fuit initium. *Idem ibidem.*

Apparuit Cometa dirus compertus Aethiopum & Aegypti populis, cui nomen ævi iſtius Rex dedit Typhon, *ut ſcribit Plinius lib. 2. cap. 25.* De hac ſtellâ ſcribit *Milichius*, conſentaneum eſſe, cum incidiſſe in tempus exitus populi Iſraëlitici ex Aegypto. Nam ſine dubio, *inquit ille*, ſigna & prodigia præceſſerunt hanc ingentem calamitatem, quæ florentiſſimum regnum Aegypti oppreſſit & ferè penitùs extinxit. Typhonis autem Regis meminit *Herodotus lib. 2.* cum ſcribit, Orum ſeu Apollinem extincto Typhone in Aegypto poſtremum fuiſſe Regem. Hæc ſi cum ſacris literis conferantur, deprehenduntur accidiſſe circa tempus exitus Iſraëlitarum ex Aegypto. Incidit ille in A. M. 2454. ante C. N. 1515.

A. M. 3489. ante C. N. 480. cum Xer-

xes Græciam intraret cum exercitu conſtante decies centum millibꝰ hominum, Cometa fulſit cornu figurâ, quę&ipſi cladem, quam ad Salaminem Themiſtoclis conſilio accepit, & turpem fugam, & internecionem reliquo exercitui, quem Mardonio commendavit, ad Plateas portendit. *Plinius lib. 2. cap. 25. Peucerus in Divinationum loco de Meteorologiâ.*

A. M. 3503. ante C. N. 466. anno 2. Olympiadis 78. Cometa in cœlo viſus eſt, & lapis è Sole ad Aegos flumen decidit, quod priuſquam fieret, Anaxagoras futurum prædixerat. *Plinius lib. 2. cap. 58.* Huc referatur quod habet *Plutarchus in Lyſandro*, hoc eſt hujuſmodi: Cùm Lyſander Lacedæmoniorum Dux memorabili prælio vinceret Athenienſes, Caſtor & Pollux utrinq; micaſſe dicuntur in clavo navis Lyſandri, ubi primùm è portu in hoſtes evectus eſt. Decidit etiam in Aegos fluvium ingens lapis, qui hujus cladis oſtentum fuiſſe creditur. Priuſquam lapis deflueret, viſum fuit dies 75. continuos eximiæ magnitudinis corpus igne-

igneum nubis flammeæ in cœlis. *Sed hæc eruditè explicat Peucerus, qui in Meteorologiâ ſic ſcribit:* Paullò ante initiū belli Peloponeſiaci ingens Cometes poſt Solis occaſum enituit, & continuos 75. dies arſit, mox tanta ventorum coorta vis, ut fragmen à monte avulſum in ſublime abripuerint, quod ubi ad urbem Thraciæ Aegoſpotamos decidiſſet, è cœlo præcipitatum fuiſſe creditum eſt. Non ita multò pòſt bellum Peloponeſiacum exarſit, quod totos viginti octo duravit annos, & toti Græciæ exitiale fuit. In fine belli ad illum Thraciæ locum Athenienſes navali prælio victi à Lacedæmoniis, Lyſandro duce, cum claſſe imperium Græciæ amiſerunt. *Hæc Peucerus.*

A. M. 3538. ante C. N. 431. apparuit Cometa ante horribilem iſtam peſtilentiam, quâ Athenienſium civitas penè ad internecionem deleta eſt. Arſit hæc crinita ſtella 60. diebus. De hujus Cometæ effectu legatur in Eclipſi Solari eodem anno factâ.

A. M. 3557. ante C. N. 412. Olympiade 92.

de 92. victa eſt Athenienſium claſſis in Siciliâ prope Syracuſas Eucleo Athenis prætore. Ante hanc cladem in Septentrionali parte cœli, Sole circa hybernas verſante converſiones Cometa viſus eſt. *Peucerus in divinationum loco de meteorologiâ.*

A.M. 3596. ante C.N. 373. anno 4. Olympiadis 101. Ariſtæo (*Pauſaneas* vocat Aſtêum) Athenis prætore, ingens Cometes hyeme cœlo ſereno & frigore intenſiſſimo, veſperi ab occaſu Solis, conſpectus eſt, cujus ſplendor tertiam cœli partem occupavit: Ab occaſu æquinoctiali verſus Auſtrum proceſſit, & cum ad cingulum Orionis perveniſſet, extinctus eſt. Hyemis illius reliqua pars fuit admodum ſicca, & abundans flatibus Septentrionalibus. Poſteà cum contrarii venti ſimul ſpirarent, Aquilo in ſinu Corinthiaco fluctus concitavit, extra ſinum verò Auſter obluctans cum fluctus intra ſinum cogeret poſt aliquot terræmotus, quibus Achaiæ urbes Helicæ & Bura corruerunt, accidit etiam diluvium, quod magnam

Achaiæ vaſtitatem attulit. Anno ſecundo pòſt Lacedæmonii à Thebanis ad Leuctra Bœôtiæ victi fractique uno prælio nunquam amplius priſtinam recuperarunt potentiam. *Peucerus in Meteorologiâ. Milichius in Plinij lib. 2.cap.25. rectè ſcribit*, Cometam illum & ſequutas tempeſtates & collapſas urbes prodigia fuiſſe denunciantia Lacedæmoniis exitium, & mutationem toti Græciæ.

A. M. 3614. ante C. N. 355. urbis Romæ 398. apparuit Cometa, in quo jubæ effigies in haſtam mutata eſt. *Plinius lib. 2.cap. 25.* Eodem anno ortum eſt bellum ſacrum ob ſpoliatum templum Delphicum, quod duravit annos novem.

A.M. 3628. ante C.N. 341. anno 4. Olympiadis 109. Lycomacho (aliis eſt Nicomachus) Athenis prætore, Cometa viſus eſt juxta circulum æquinoctialem. Hunc ſequutus eſt ventus horribilis prope Corinthum: Et paullò poſt Athenienſes, Demoſthenis ſuaſu, cum Philippo Macedone congreſſi ad Chæronêam cæſi ſunt amiſſis duobus millibus civi-

um, deſiitq; cum hac clade Græcorum potentia & libertas. *Peucerus in divinationum loco de Meteorologiâ.*

A. M. 3765. ante C. N. 204. anno urbis 549. (*Peucero* 550.) Fax ſtellæ ſpecie, ab ortu ſolis ad occidentem porrigi viſa eſt. *Livius Dec. 3. lib. 9.* Eodem anno Scipio in Africam trajecit, Pœnos fudit, Hannonem occidit. Hannibal in Brutiis à Sempronio Coſ. victus eſt. Altero anno pòſt alia rurſus viſa fax. Eo Scipio Pœnorum caſtra ad Uticam incendit: Romani multas civitates in Brutiis receperunt: Hannibal in Crotonienſi agro cæſus: Mango Hannibalis frater cruento prælio victus: Caſtra Syphacis Regis flammâ expugnata cum ipſo Rege capta. *Peucerus de Meteorologiâ.*

A. M. 3769. ante C. N. 200. apparuit Cometa in ſigno Cancri. *Referente Herlicio.*

A. M. 3785. ante C. N. 183. Horribilis Cometa arſit 80. diebus, *teſte Cornelio Gemmâ.* Seleucus Rex Syriæ mittit Heliodorum, ut theſaurum templi Hieroſolymita-

mitani aufferret, ſed ille ab Angelis probè pulſatus, precibus Oniæ Sacerdotis vix obtinuit vitam. 2. *Maccab.* 3. Eo anno etiam Celtiberi in Hiſpaniâ magnâ clade affecti ſunt. Hannibal voluntariâ morte obiit. Scipio Africanus defunctus eſt. Philopæmenes Achæorum Dux fortiſſimus à Meſſeniis in carcere necatus eſt. *D. Schofferus.*

A. M. 3801. ante C. N. 168. Urbis Romæ 585. arſit Cometa, cui tribuitur nomen Hircus. *Seneca lib. 7. quæſtion. naturalium.*

A. M. 3803. ante C. N. 166. urbis Romæ 587. Lavinii conſpecta fax, & anno ſequenti altera Lanuvij. Eodem devicti Gentius Illyriæ Rex & Macedoniæ Perſeus. *Peucerus in Meteorologiâ.*

A. M. 3819. ante C. N. 150. poſt mortem Demetrii Regis Syriæ, qui in acie interfectus regnum & vitam amiſit, Cometa horendæ magnitudinis exarſit, quem claritate luminis ignei & rutilantis noctis tenebras diſpuliſſe, & magnitudine Solem æquaſſe ſcribunt. Hoc prodi-

gium ſtatim ſecutum eſt tertium bellum Punicum. *Büntingus ex Camerario lib. 2. de Oſtentis.*

A. M. 3823. ante C. N. 146. Urbis Romæ 607. arſit Cometa totos 32. dies. Eodem anno L. Mummius Coſ. Corinthum Achaiæ urbem funditùs eruit: Carthago à Scipione capta & diruta eſt. *Peucerus in Meteorologiâ.*

A. M. 3833. ante C. N. 136. Urbis Romæ 617. Præneſte fax luxit, & intonuit ſereno: Paulò pòſt cæſus ad Numantiam Hoſtilius Mancinus Conſul. *Peucerus in Meteorologiâ.*

A.M.3853. ante C.N.116. apparuit Cometa in ſigno Cancri, *ut ſcribit Herlicius.*

A.M. 3870. ante C.N. 99. Urbis Romæ 654. Tarquiniis fax ardens flammam longè latéq; ſparſit, ſubitóq; præcipitata lapſu decidit, & orbis Clypei figura ſub occaſum Solis ab occidente in orientem protendi viſus eſt. Eo anno in Siciliâ trucidati ſunt fugitivi. *Peucerus in Meteorologiâ.*

A. M. 3876. ante C. N. 93. Vrbis Romæ

mæ 660. & totum cœlum arſit ignibus & fax emicuit. Paulò pòſt à Scipione rebelles Hiſpaniæ Principes domiti & ſupplicio affecti ſunt. *Peucerus in Meteorologiâ.*

A. M. 387 9. ante C. N. 90. Conſpectus eſt Cometa in ſigno Virginis, *ſcribente Herlicio.*

A. M. 3882. ante C. N. 87. Apparuit Cometa, quem ſequutus eſt civilis motus Octavio Coſ. qui Cornelium collegam propter leges pernicioſas expulit. Cornelius Mario ex Africâ cum exercitu excito Romam obſedit, illâq; deditâ primates interfecit. *Plin. lib. 2. cap. 25.*

A.M. 3919. ante C.N. 50. Exortum eſt bellum civile inter Cæſarem & Pompejum, quod præceſſit Cometa. *Plin. lib. 2. cap. 25.*

A.M. 3926. ante C. N. 43. poſt Cæſarem interfectum crebri Cometæ effulſerunt, ut *Virgilius* teſtatur:

*Non aliàs cœlo ceciderunt plura ſereno*
*Fulgura, nec diri toties arsêre Cometæ.*

Ex horum numero is fuit, quem temporę ludorum per dies 7. in regione

cœli Septentrionali conſpectum, & oriri ſolitum circa undecimam horam diei, legimus. De hoc Cometâ legatur *ap. Plinium lib.2.cap.25. & Suetonium in Iulio Cæſare cap.88.*

Plinius ſcribit, Auguſtum hoc ſidere gaviſum eſſe, idq; terris fuiſſe ſalutare. Sed quàm ſalutare fuèrit, *(ut addit Milichius Plinij Commentator)* æſtimari poteſt ex mutatione Reipubl. & quinq; bellis civilibus, quæ ſequuta ſint ſtellæ iſtius apparitionem, utpote Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, Actiacum. Ita enim recenſet *Suetonius in Octavio Auguſto cap.9.* Sequutus eſt Octavii, Antonii & Lepidi triumviratus plenus crudelitatis & homicidii, quo etiam M. Tullius Cicero Antonii juſſu eſt interfectus.

A. M. 3939. ante C. N. 30. fuit horribilis terræmotus in Iudæâ, qui 10000. homines obruit, magnaq; pecudum jactura facta eſt. *Ioſeph.lib.15. cap.7. antiquit.* Iſta mala præceſſit Cometa, qui in Librâ habuit curſum ſuum diebus 95. *D. Herlicius.*

No-

Nolo tacitè præterire ſtellam iſtam auguſtiſſimam, quæ CHRISTO Domino recèns natoMagis in oriente apparuit, ipſiſq; Hieroſolymâ Bethlehem verſus ad adorandum CHRISTUM euntibus præivit, ſtetitque ſupra locum, ubi erat puerulus. *Matth.2.* Stella hæc aliis nova, aliis Cometa, aliis Angelus fuiſſe putatur. Sed remitto lectorem ad pias & eruditas Theologorum & Aſtronomorum diſputationes, & ſubjicio, quæ de eâ annotavit *Paradinus* in Symbolorum Heroicorum eo, cujus inſcriptio eſt: *Monſtrant Regibus aſtra viam:* Signum ſeu pictura eſt Stella cum coronâ. Huic adſcribit ille quæ ſequuntur. In æde ſacrâ ad Sanctum Ovenum Gallici regni ſub anno redempti orbis 1351. à Rege Iohanne publicè inſtitutus ordo Stellatorum fuit. Signum hoc adfixum oſtendebant ejus fœderis Equites togâ, capitio, locove conſpicabiliori. Tam honorificam ſtellæ celebritatem credibile eſt ortam fuiſſe à commemoratione ſublimis iſtius oſtenti ſiderei, quod Magos ab oriente ad-

duxit in locum Filio Dei natalem: Quò etiam referri poſſe videntur verſus illi, alioqui à *Virgilio* Pollionis filio dicati, (imò Iulio Cæſari, ob Cometam, qui ſe poſt ejus mortem oſtendit.) *Ecloga IX.*

*Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:*
*Aſtrum quo ſegetes gauderent frugibus, & quo*
*Duceret apricis in collibus uva colorem.*

Hactenùs *Paradinus*, ad cujus piam de ſtellâ, à magis Orientalibus viſâ, ſententiam, facit etiam *Theodori Bezæ prognoſticon in novam ſtellam A.C.1572. exortam, quod ſuo loco* adponetur.

De ſtellâ, quæ CHRISTO nato Magis in Oriente apparuit, rectè etiam hoc affirmat *D. Auguſtinus ſerm. 31. de tempore*, quòd nec unquam anteà inter ſidera apparuerit, nec poſteà demonſtranda permanſerit: Et quòd fuerit magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei, quæ inuſitatum virginis partum inuſitato fulgore clamaret. Idem ſcribit ſtellam hanc biennio fulſiſſe. *Serm. 34. de temp. & ſermone, qui primus eſt inter XVII. noviſſimos.*

Hoc

Hoc ipſum aſſerit etiam *D. Epiphanius lib. 1. tom. 1. contra Herodianos.*

Cæterũ *D. Baſilius* in Homiliâ εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν, & multi alii, ut refert *Chytræus in enarratione Numerorum*, ad ſtellam Magorum ductricem accomodarunt Vaticinium, quod Balaam Vates Moabiticus circa A. M. 2493. hoc eſt, ante C.N. 1476. edidit de ſtellâ oriturâ ex Iacob *Num.24.* Sed Chriſtiani interpretes noſtri ſtellam iſtam non propriè accipiunt, ſed per ſimilitudinem interpretantur de adventu & regno CHRISTI, quem Balaam in ſpiritu Prophetico vidit longo pòſt tempore è ſtirpe Iacob proceſſurum ceu ſtellam illuſtrem: ſicut eâdem ſimilitudine paſſim in utriuſq; Teſtamenti ſacris libris CHRISTUS cum beneficiis ſuis nobis proponitur. *Eſa.9. & Matt.4.* vocatur lux magna. *Eſa.49. Luc.2.* Lux gentium. *Ioh.1.* Lux hominum, vera, lucens in tenebris. *2.Petr.1.* Lucifer exoriens in cordibus piorum. *Apoc.22.* ſtella ſplendida & matutina.

Anno CHRISTI 54. Cometa longo

tempore viſus eſt, pluitq; ſanguinem, & fulmen de cœlo in ſigna Prætorianorum militum cecidit, & templum Iovis Victoris ſuâ ſponte apertum eſt. Hæc ſigna anteceſſerunt mortem Claudii Cæſaris, & Imperium Neronis. *Plinius lib. 2. cap. 25. Seneca lib. 7. quæſt. natur. Tacitus lib. 12. Suetonius in Claudio cap. 46. Oroſius lib. 7. c. 6.*

A. C. 56. apparuit Cometa in Cancro, ut ſcribit *D. Herlicius.*

A. C. 60. arſit Cometa ſex menſibus. *Seneca. Corn. Tacitus. lib. 14. de hoc Cometâ ſic ſcribit:* Sidus Cometes inter hæc effulſit, de quo vulgi opinio eſt, tanquam mutationem Regis portendat. Igitur quaſi jam depulſo Nerone, quisnam eligeretur inquirebant: Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iuliâ familiâ. Sed is monitus à Nerone cum Antiſtiâ coniuge & paucis familiarium conceſſit in Aſiam, ubi illi aviti erant agri. Paulò tamen pòſt juſſu Neronis eſt occiſus, capite ejus amputato & Romam perlato. Seneca adulatus Neroni dixit: Cometen tunc fulgentem

tem polliceri magnam felicitatem orbi terrarum propter Imperium Neronis: Ille verò & ſævitiam, quam poſteà Nero exercuit, & Neronis tragicum exitum, & Iudaicæ gentis interitum portendit. *Milichius in 2. librum Plinii cap. 25.* *Suetonius* de eodem hoc Cometâ ſic habet: Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius eâ re Nero, ut ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere Reges talia oſtenta cæde aliquâ illuſtri expiare, atq; â ſemet in capita procerum depellere, nobiliſſimo cuiq; exitium deſtinavit. *Cap. 36.*

De effectu hujus Cometæ legatur in Eclipſi Solis, quæ A.C. 59. hunc Cometam præceſſit.

A. C. 61. fulſit Cometa, *ut annotat D. Chriſtianus Theodorus Schoſſerus in deſcriptione Cometæ, qui A. C. 1618. apparuit.*

A. C. 62. fulſit Cometa, *ut ſcribit Herlicius.* Cæterùm hoc anno Nero repudiavit & occidi mandavit Octaviam uxorem, cujus caput amputatum, latumq; in urbem

bem vidit Poppæa à Nerone ducta. *Cor. Tacitus lib. 14.*

A. C. 64. C. Lecanio Baſſo & M. Licinio Craſſo Coſs. in fine anni (*ut ſcribit Tacitus*) vulgantur prodigia imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non aliàs crebrior, & ſidus Cometes ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum. Bicipites hominum aliorumq́; animalium partus; & in agro Placentino natus vitulus, cui caput in crure eſſet. *lib. 15.* Præceſſit hunc Cometam incendium Romæ Neronis dolo factum, quod in Chriſtianos deinde tranſtulit, & adverſus eos ideò atrocem perſecutionem ſuſcepit. Secuta eſt conjuratio optimatum in Neronem, quę per ſervum patefacta multis fuit mortis occaſio. Inter alios L. Anneus Seneca Neronis præceptor, Philoſophus & Orator excellens, egreſſus ætatis annum 114. à diſcipulo juſſus aut mortem ſibi ipſi conſciſcere, aut mortis genus mandatum ſubire: venaſ brachiorum & crurum ſibi aperiri juſſit, & obiit ultimo die Aprilis. Eodem mortis genere obierunt multi alii

lii,& M. Anneus Lucanus Poëta. Poppæa etiam gravida à marito Nerone ictu calcis adflicta obiit. *Tacitus lib. 15. & 16.*

A.C.69. h. e. primo Veſpaſiani Imp. ſupra civitatem Hieroſolymam ſtetit ſidus ſimile gladio, & per annum perſeveravit Cometes. *Ioſephus lib.5. cap.12. de bello Iudaico.* Altero anno urbs capta eſt, & perierunt fame & gladio decies centena millia Iudæorum. *Peuc. in divin. loco de Met.*

A. C. 72. viſus eſt Cometa in Librâ, *ut annotat D. Herlicius.*

A. C. 78. tertio anno ante mortem Veſpaſiani Imp. apparuit Cometa Iaculi ſpecie, ſeu ἀκοντίας, qui arſit 180. dies, h. e. 6. menſes. *Plinius lib.2. cap. 25. & Commentator eius Milichius.*

Hunc Cometen ſequuta eſt peſtis graviſſima, quæ Romæ ſingulis diebus decies mille homines abſtulit. Sequuti etiam ſunt Ebion & Cerinthus, impium de CHRISTO dogma ſuum ſpargentes.

A. C. 79. ſtella crinita viſa eſt paulò ante mortem Veſpaſiani Imperatoris, de quâ tamen jocatus dixit, pertinere eam

ad

ad Parthorum Regem, qui eſſet capillatus. *Suetonius in Veſpaſiano cap. 23.* Sequuta eſt peſtis, quanta vix unquam adflixit Romam. *Eutropius.*

A. C. 160. obiit Antoninus Pius, ſub ipſo arſit ſtella crinita. *Hiſt. Eccleſ. cent. 2. cap. 13. ex Iulio Capitolino.*

A. C. 192. occiſus eſt Commodus Imperator: In cujus morte Cometes apparuit, & à multis templis, quæ in urbe erant, cum ſimulacris Deorum effigies quoque abire viſæ ſunt. *Fulgoſus lib. 1. cap. 4.*

A. C. 217. Stella per multas noctes viſa eſt ab occidente ad orientem Solem tendens. *Xiphilinus.* Eodem anno victus & occiſus eſt ab Eutychiano Macrinus Imperator.

A. C. 324. apparuit Cometa in Virgine, *ut annotavit. D. Herlicius.*

A. C. 335. ſeu biennio ante mortem Conſtantini, qui obiit 11. Cal. Iulii A. C. 337. fulſit inuſitatæ magnitudinis Cometa. *Eutropius lib. 11. Oroſius lib. 7. cap. 19.*

A. C. 363. cum Iovianus ex Perſiâ rever-

verſus eſt Antiochiam, per continuos dies multa viſa ſunt miracula & prodigia, & viſa ſunt interdiu ſidera Cometarum. *Ammianus lib. 25.*

Anno ſequenti 13. Cal. Martii obiit Iovianus Imp. & ſucceſſorem habuit Valentinianum, qui in Oriente conſtituit Valentem fratrem. Eodem anno adverſus Valentem Conſtantinopoli tyrannidem invaſit Procopius. *Onuphrius.*

A. C. 375. Diebus pauciſſimis ante obitum Valentiniani Imperatoris celſorum arsêre crinita ſidera Cometarum. *Ammianus lib. 30.*

A. C. 393. Inopinata & inſolens ſtella in cœlo mediæ noctis tempore prope Luciferum refulgens apparuit circa eum ipſum, qui Zodiacus dicitur, Circulum. Radiis & luce non admodum Lucifero ceſſit. Continuò ad illam alia vis ſtellarũ aggregabatur. Spectaculum ſi vidiſſes, apum examini circa ducem ſuum in orbẽ obvolitantium contuliſſes: Quæ velut ex mutuâ & violentâ concuſſione ab omnibus eis emicuit lux, in unam quandam com-

commiſſa flammam evadebat, & gladij ancipitis magni & horrendi, cum terrore quodam relucens, faciem reddebat. Hoc quidem viſum novum reddebat ſpectaculum: ſed motus ejus prorsùs à ſtellarum omnium curſu differebat. Primò enim ex eo loco, unde moveri incipiebat, cum oriebatur & occidebat. Deinde paulatim ab illo abſiſtens, ſegniter & pedetentim quaſi ad urſas converſum curſum tenebat, & velut ad ſpectantes obliquè ad ſiniſtram ſuâ gradiebatur viâ. Ambitum quidem eundem cum ſtellis aliis, ad quas acceſſerat, communem perficiebat. Proprio autem motu, qui ad quadrageſimum productus eſt diem, vix tandem majorem Urſam attigit, atque in mediâ aſtri iſtius parte poſtremò effulgens evanuit. *Nicephorus lib.12. cap. 37.*

Anno ſequenti hunc Cometen occiſus eſt Fl. Eugenius Imperator occidentis, cui ſucceſſit Fl. Honorius Theodoſii filius.

A. C. 399. Horribilis Cometa arſit tempore Arcadii Imp. cum Gainas in ur-

urbem Imperatoriam irrupiſſet, & vaſtationem toti Romanorum regno inferre conſtituiſſet. Cometa fuit prodigioſæ magnitudinis, horribili aſpectu comam ad terram propè uſq; demittere viſus, ex quo periculum ingens civitati portendi exiſtimatum eſt. *Socrates lib. 6. cap. 6. Sozomenus lib. 8. cap. 4. Nicephorus, qui Cometam tradit enſis formam retuliſſe, lib. 13. c. 6.*

A. C. 412. viſus eſt Cometa, *ſcribente D. Herlicio.*

A. C. 413 apparuit Cometa in ſigno Virginis, *teſte D. Herlicio.*

A. C. 418. Narrant quidam Cometam ad menſem uſq; Septembrem eſſe conſpectum. *Herlicius* in Librâ viſum eſſe aſſerit. Hoc tempore Iudæi omnes factione Cyrilli Alexandriâ expulſi ſunt. *Hiſtor. Eccleſ. cent. 5. cap. 13.*

A. C. 423. Horribilis Cometa arſit, quem ſequuti ſunt multis in locis graves terræ motus. *Schoſſerus.*

A. C 442. poſt conſpectum Cometam Attila Rex Hunnorum irruptione factâ Thraciam & Illyricum vaſtavit. *Schoſſerus.*

A. C. 448. *atteſtante Herlicio*, viſus eſt Cometa in ſigno Leonis.

A. C. 450. viſus eſt Cometa, poſt quem facta eſt cruenta iſta pugna in campo Catalaunico Aëtii Romanorum Ducis & Attilæ Regis, quâ ab utrâq; parte 180. millia hominum occubuerunt.

A. C. 453. terræ motus aſſidui Cometæq; & ſigna varia apparent in cœlo. *Eccl. Hiſt. cent. 5. cap. 13. ex Palmerio. Nicolaus Olaus in Attilâ.*

A. C. 454. cum Attila Rex Hunnorum in Germaniâ, Galliâ & Italiâ crudeliter multa perpetraſſet, tandem miſerè extinctus eſt in geniali lecto, uxore juvenculâ ductâ. Morti illius dicitur diebus 21. Cometa præluxiſſe. *Schoſſerus.*

A. C. 457. ſuper inſulam Britanniæ ſtella miræ magnitudinis apparuit, cujus radio gladius igneus draconi ſimilis adhærebat. Ex cujus ore duo radii procedebant, quorum unus ultra Galliam ſe extendebat, alter verò rurſus Hyberniam tendens, in ſeptem minores radios terminabatur. *Sigebertus.*

Anno

A.C.500.circiter Imp. Anaſtaſio Dicoro, Bulgari iterum in Illyricum faciebant impreſſionem, quidam ex Romanis tribunis cum ſuis legionibus ſe illis oppoſuerunt & turpiter victi ſunt. Eam cladem ſtella crinita præſignificavit & Corvi, qui & ſupra & ante illos proficiſcentes volitabant. *Zonaras Tom. 3. in Anaſtaſio Dicoro.*

A.C.531. Imperii Iuſtiniani V. conſpect⁹ eſt Cometa, qui ob radios ſurſum inſtar facis porrectos Lampadias dicebatur, & per dies 20. fulgebat. *Zon. Ann. Tom. 3. in Iuſtin.* Secuta eſt ſeditio in urbe Cōſtantinopolitanâ, in quâ 11. millia civiū ſunt cæſa.

A. C. 539. Cometa viſus eſt in ſigno Libræ, ut memorat *D. Herlicius.* Hoc anno Coſroes Perſarum Rex ruptâ pace, anno 12. Imperij Iuſtiniani, Ciliciam & Syriam invaſit, & Antiochiam cœpit. *Procopius, Annales Conſtantinopolitani.*

A. C. 540. h.e. anno Imperii Iuſtiniani 13. Cometa pluribus diebus apparuit, primâ quidem parte viri magnitudine in occidentem verſus, poſteriore autem longè major in orientem ſpectans:

Solem in Capricorno exiſtentem, ipſe in Sagittario ſequebatur. Xiphiam vocant, quòd longè in acutum tendat, nonnulli Pogoniam. Haud dubiè Hunnorum ſævitiam & lanienam horribilem, quam in totâ ferè Europâ exercuerunt eo ipſo & ſequentibus annis, deſignavit. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cent. 6. cap. 13. ex Procopio lib. 2. de bello Perſico.*

A.C. 541. Apparuit Cometa, quem ſequuti ſunt morbi inopinati, ulcera. *Schoſſerus.*

A.C. 556. arſit Cometa, quem proximè ſequenti anno ſequutus eſt terræ motus magnus & peſtilentia vehemens. *Schoſſerus.*

A. C. 557. apparuit Cometa in formâ lanceæ. *Annales Conſtantinopolitani.* Longobardi invaſeruut Italiam.

A. C. 594. menſe Ianuario manè & veſperi viſus eſt Cometa per totum menſem. *Diaconus lib. 4. cap. 4.* Hoc & ſequenti anno Priſcus Mauritii Imp. Dux Sclavinos ad Iſtrum vicit & deprædatus eſt.

A.C. 602. conſpectus eſt Xiphias h. e. ſtella

ſtella gladii nitore, ſine ullis radiis eadem nocte, quâ Mauritius Imp. ſomniavit ſe Phocæ militi ſuo jugulandum tradi. 8. Calend. Xbris Mauritius Imp. cum uxore & liberis miſerè occiſus eſt à Phocâ ſucceſſore. *Zonaras in Mauritio.*

A. C. 605. menſe Aprili & Majo apparuit Cometa. Eodem anno menſe Novembri & Decembri ſtella crinita viſa eſt. *Diaconus.*

Coſroes Perſarum Rex invaſit terram Romanorum. Narſes Dux belli de Romano Imperio optimè meritus contra fidem juramenti datam à Phocâ combuſtus eſt. *Zonaras in Phocâ.*

A. C. 617. Cometes apparuit qui Hieroſolymorum direptionem portendit. *Hiſt. Eccl. cent. 7. cap. 13. ex Polydoro lib. 3.*

A. C. 622. viſus eſt Cometa. Circa hoc tempus Mahometes Arabs impium ſuum dogma in Alcorano comprehenſum cœpit propalare. *Schoſſerus.*

A. C. 631. Apparuit Cometa gladii ſpeciem referens, poſt quem Saraceni à Romano Imperio defecerunt. Ex quibus

bus velut initiis Mahometicum & Turcicum regnum exortum eſt & ad ſummam potentiam pervenit. Circa hoc tempus diem ſuum obiit Lotharius Rex Galliæ. *Schofferus.*

A. C. 633. Imperatore Heraclio conſpectus eſt Cometa. Sequenti anno Saraceni duces Heraclii vicerunt. Heraclius deſperatis rebus derelictâ Syriâ lignum ſanctæ Crucis Conſtantinopolin tranſtulit. *Annales.*

A. C. 660. Cometa apparuit in Scorpio, *ut annotavit D. Herlicius.* Muhavias Amiras Saracenorum cum Hali ſupremo Principe de iſtâ dignitate decertavit, regiam ſedem in urbe Damaſco habens.

A. C. 676. Cometa viſus eſt tribus menſibus. Rathbodus præfuit terris ad Albim, Viſurgim & Hercyniam: cum inclementiùs haberet ſubditos, defecerunt illi ad Regem Franciæ, qui tum Thuringiam habebat. *Spangenb. Chron. Sax. cap. 69.*

A. C. 677. in Auguſto per tres menſes Cometa excelſam flammam quaſi columnam præferens, à parte orientali, à gal-

gallicinio uſq; ad ortum Solis apparuit. *Hiſt. Eccl. cent. 7. cap. 13. ex Sigeberto.* Saraceni coacti ſunt à Romanis pacem petere. Peſtis graſſata eſt in Oriente.

A. C. 684. Cometa horribilis totos tres menſes apparuit. Secuti ſunt venti vehementes, pluviæ, fulgura, tonitrua, adeò ut timeretur multarum terrarum & hominum interitus. *Schofferus.* Non ita diu pòſt obiit Heraclius Imp. Orientis.

A. C. 687. ſtella juxta Vergilias, per aliquot dies & noctes, cœlo ſereno, inter natalem Domini & Epiphaniam apparuit, omni modo adumbrata, veluti cum Luna ſub nube eſt conſtituta. Poſteà menſe Februario in meridie ſtella ab occaſu exiit, & magno cum fulgore in partes orientis declinavit. *Paul. Diac. lib. 6. c. 4.*

A. C. 719. Apparuit Cometa in Sagittario, *ut ſcribit Herlicius.* Eodem anno obiit Clodoveus Rex Francorum: Illi ſucceſſit frater Lotharius, contra quem in Neuſtriâ electus eſt ſacerdos quidam, qui ſe Chilpericum nominavit. *Trithemius.*

A. C. 729. Imperatore Orientis Leone

Iſauro, menſe Ianuario apparuerunt Cometæ duo circa Solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Unus quippe Solem præcedebat manè orientem: alter veſpere ſequebatur occidentem, quaſi orienti ſimul & occidenti diræ cladis præſagi: vel certè unus diei, alter noctis præcurrebat exortum, ut utroq; tempore mala mortalibus imminere ſignarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem, quaſi ad accendendum acclivem, apparebantq; menſe Ianuario, & duabus fermè ſeptimanis permanebant. Quo tempore graviſſima Saracenorum lues Gallias miſerâ cæde vaſtabat, & ipſi non multò pòſt in eadem provinciâ dignas ſuæ perfidiæ pœnas luebant. *Hiſt. Eccl. cent. 8. cap. 13. ex Bedæ lib. 5. cap. 24. Hiſtoriæ Anglicæ.*

A. C. 744. Signum ſeu Cometa ad Aquilonem apparuit, & cinis de cœlo cecidit, & in portis Caſpiis terræmotus accidit. *Paulus Diaconus. Sigebertus, & ex illis Hiſt. Eccl. cent. 8. c. 13.*

A. C. 745. Cometa in Syriâ conſpicitur:

tur: qui videtur ſeditionem inter Arabes, tenebras, peſtem & terræmotus, qui ſequuti ſunt, ſignificaſſe. *Hiſt. Eccl. cent. 8. cap. 13. ex Sigeberto.* Peſtis in Græciâ ſæviit, & Conſtantinopoli ad 300. hominum millia ſuſtulit. *Annales Conſtantin. lib. 22.*

A. C. 760. Cometa in oriente apparuit dies 10. Et poſteà ſive idem ſive alius diebus 21. effulſit. *Hiſt. Eccl. cent. 8. cap. 13.* Turci prælucente Cometâ magnâ vi Armeniam ſunt aggreſſi.

A. C. 791. Cometa apparuit in Virgine, *ut refert D. Herlicius.* Bellum hoc anno Hunnis eſt illatum: Carolus M. Pannoniam vaſtavit uſq; ad fluvium Raba. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 809. Imp. Carolo M. facta eſt magna conjunctio ſuperiorum Planetarum in initio Sagittarii, quam ſequutus eſt horribilis Cometa conjunctione illâ adhuc durante. Eventus huius Cometæ leguntur in Eclipſibus Solis & Lunæ, quæ tunc temporis frequentes fuerunt.

A. C. 812. Nonis Novembris apparuit Cometa in formâ duarum Lunarum

 ful-

fulgentium, adunantium ſe atq; ſeparantium in diverſa ſchemata, ita ut viri acephali figuram exprimerent. *Annales.* Effectus huius Cometæ petantur ex deliquiis Solis, quæ A. C. 812. & ſequenti facta ſunt.

A. C. 814. ante mortem Caroli M. Imp. Cometa apparuit valdè ſingularis & terribilis, unde Imperator attentus cum Eginardo Philoſopho contulit dicens, quòd mutationem regni, mortemq́ue Principis portenderet. Philoſophus noluit eum contriſtare, ſed verbum Prophetæ allegans ait: A ſignis cœli nolite timere. At Imperator devotus, non aliud, inquit, timere debemus, niſi illum, qui noſtri & hujus creator eſt ſideris, ſed ejus clementiam laudare tenemur, qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus admonere dignatur judiciis. *Faſciculus temporum.*

Anno altero, quo Carolus M. obiit, Sol obſcuratus eſt, & Luna pallorem recepit, terræmotus accidit, Cometa exarſit & alia dira prodigia conſpecta & audita ſunt in terris. *Hiſt. Eccl. cent. 9. c. 13.* A. C.

A. C. 817. Nonis Februariis Cometes in ſigno Sagittarii apparuit. *Hiſt. Eccl. cent. 9. cap. 13.* Factæ etiam tum ſunt Eclipſes Solis & Lunæ: Illarum effectus cum hoc Cometâ conferantur.

A. C. 828. Cometa in Librâ apparuit, & alius ſequenti anno in Ariete conſpectus eſt, & per aliquot dies plurimi inſtar ſtellarum igniculi per cœlum diſcurrere viſi ſunt. Ventorum violentiâ multa ædificia everſa ſunt. *Hiſt. Eccl. cent. 9. cap. 13. ex Sigeberto & aliis. Refert etiam Spang. Chron. Sax. cap. 94.*

A. C. 837. Kenethus Scotorum Rex Pictorum exercitum internecione delevit. Portenderunt hanc cladem duo Cometæ, autumno unus Solem antecedens, vere ſequenti alter Solem ſequens. *Cardanus de rerum varietate lib. 15. cap. 78.*

A. C. 838. die 11. Aprilis horribilis Cometa viſus eſt 25. dies continuos.

A. C. 839. Cometa viſus eſt in ſigno Arietis: ſequuta eſt mors Ludovici Pii Imperatoris.

A. C. 842. Cometa in Aquario conſpe-

ſpectus portendit inteſtinum bellum inter filios Ludovici, quo omnes Francorum vires debilitatæ ſunt, ut poſteà hoſtibus propulſandis eſſent impares. *Hiſt. Eccl. cent. 9. cap. 13. ex Sigeberto.*

A.C. 844. magna fuit Eclipſis Solis, & præterea Cometa apparuit. *Spang. Chr. Sax. cap. 134.*

A. C. 868. poſt viſum Cometam Ivarus Rex Danorum in Northumbriâ Angliæ occubuit. Sequenti anno obiit Lotharius Rex Galliæ. *Regino. Schoſſerus.*

A.C. 876. Menſe Iunio aliquot noctibus viſus eſt Cometa horribiliter rubens. Menſe Iulio ſequuta eſt inundatio Salæ, qua Aſchenborn pagus totus cum templo & ædificiis eſt ablatus, ſuffocatis hominibus 88. reliquis mirabiliter ſervatis. *Spang. Chron. Sax. cap. 107. ex Sigeberto.* Sequenti anno vitam cum morte commutavit Carolus Calvus Imp. & Rex Galliæ.

A.C. 882. die 18. Ian. viſus eſt horribilis Cometa prænuncius mortis Ludovici Regis. *Spang. Chron. Sax. cap. 110.*

A. C. 902. poſt conſpectum Cometam

tam Hungari in Carniam irruptione factâ in vigiliis Paſchatis fuſi ſunt. *Schoſſerus.*

A. C. 904. Menſe Majo Cometa viſus eſt, qui cladem iſtam Italicam, quæ mox ſubſequuta eſt, portendit. Ludovicus enim Longobardorum Rex Berengarium Italiâ expulit: ſed paullò pòſt mutatâ belli fortunâ hic ſuperior factus Ludovicum captum Veronæ oculis privavit. *Hiſt. Eccl. cent. 10. cap. 13. ex Reginone.*

A. C. 909. poſt viſum Cometam Alexander Imp. Orientis morbo colico extinctus eſt. *Schoſſerus.*

A. C. 912. Apparuit Cometa præter morem rutulantior, quam maxima apud Saxones aquarum inundatio ſequuta eſt. Et circa idem etiam tempus à Francis regnum ad Saxones tranſlatum eſt, quod ſine magnis motibus, multoq; ſanguine fieri non potuit. *Referente Hiſt. Eccleſiaſticâ cent. 10. cap. 13.*

A. C. 913. apparuit Cometa in ſigno Scorpii, *ut annotavit D. Herlicius.* Sequenti anno Principes Germaniæ magnâ rebellione Imperatori Conrado reſiſtunt. *Büntingus in Chronologiâ.*

An-

A. C. 930. viſus eſt Cometa in Cancro. In Hungariâ ad trecenta hominum millia fame perierunt. Hungari Germaniam invaſerunt & paſſim cæſi ſunt, maximè verò ab Henrico Aucupe ad Merſeburgum.

A. C. 942. Cometa apparuit à 15. Calendarum uſq; ad ipſas Calendas Novembris, qui denotavit inundationes & animalium interitus, ut eventus comprobavit. *Refert Hiſt. Ecc. cent. 10. cap. 13.*

A. C. 944. In Italiâ miræ magnitudinis & proceritatis Cometa apparuit igneos diffundens radios, qui imminentem ſignificavit famem, quâ paullò pòſt duriter premebatur univerſa Italia. Urſpergenſis hunc Cometam refert ad annum 943. quo bella & famem Galliam denuò afflixiſſe quidam prodiderunt. *Hiſt. Eccl. cent. 10. cap. 13.*

A. C. 968. Cometa apparuit, quem maxima fames ſequuta eſt. *Hiſt. Eccl. cent. 10. cap. 13.*

A. C. 975. arſit Cometa propemodum octo menſibus, & veneno ſublatus

eſt

eſt Iohannes Cemiſces Imper. Orientis. *Schoſſerus.*

A. C. 979. Cometa viſus eſt in Virgine, *ut annotavit D. Herlicius.* Anno ſequenti Moguntia terræmotu eſt concuſſa. *Büntingus in Chronologiâ.*

A. C. 996. Cometes viſus eſt, *teſte Bergomenſi lib. 11. Refert. Hiſt. Eccl. cent. 10. cap. 13.* Hoc ipſo anno obiit Hugo Capetus Francorum Rex.

A. C. 999. 14. Decembris ingens Cometa in cœlo inſtar facis arſit, quem ſequuta eſt magna ſiccitas, quâ fluviis exſiccatis mortui ſunt piſces & fœtore gravi peſtilentiæ præbuerunt occaſionem. *Spang. Chron. Sax. cap. 155.*

A. C. 1000. Stella crinita horrendæ magnitudinis viſa eſt in cœlo: fax quoq; ignea de cœlo decidit, & ſerpens igneus conſpectus eſt in aëre. *Büntingus.* In initio anni ſequentis, die 28. Ianuarii chirothecis veneno infectis à Creſcentii Coſ. viduâ necatus eſt Otto III. Imperator.

A. C. 1004. Cometa diu viſus eſt, & magnam ſecum attulit annonæ penuriam.

am. *Schoſſerus.* Henricus Imper. hoc anno in interiore Germaniâ Vandalos ſubegit. *Büntingus.*

A. C. 1005. Calendis Octobris Cometa horribilis huc illuc vibrans, in Auſtrali parte viſus eſt, quem magna anno ſequenti fames & peſtilentia ſecuta eſt. Refert *Hiſt. Eccleſ. cent. 11. cap. 13.*

A. C. 1009. ſub finem Maji Cometa fulſit, qui mox inſecutæ apud Saxones peſtis certum indicium fuit. *Eccl. cent. 11. cap 13. ex Sigeberto.* Hoc anno Turci & Saraceni Aſiatici Hieroſolymam ceperunt. *Blondus.*

A. C. 1017. Cometa ſolito mirabilior, in modum maximæ trabis per quatuor menſes viſus eſt. *Sigebertus. Herlicius* in Leone hunc Cometam apparuiſſe annotat. Hoc anno Henricus II. Imp. exercitum duxit in Poloniam. Anno ſequenti Iaroſlus Dux Ruſſorum hoſtili exercitu Poloniam ingreſſus, à Boleſlao Rege victus magnâ cum ſuorum clade domum rediit. *Chron. Polon.*

A. C. 1025. poſt apparitionem Cometæ in

tæ in vivis eſſe deſierunt Boleſlaus primus Rex Poloniæ: Baſilius Imperator & Euſthatius Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Schoſſerus.*

A. C. 1031. Mortuo Ruberto Rege Francorum Cometa fulſit, exortiſq; tempeſtatibus & imbribus maximis, flumina exundantia propè æquora in agris efficiebant: ſecuta eſt deinde fames & peſtis. *Paul. Aemylius de geſtis Francorum.*

A. C. 1039. 8. Idus Aprilis inter ortum & meridiem ignea trabs miræ magnitudinis in cœlo conſpecta eſt, quæ dum Solem vicinum occaſui tranſiret, in terram delabi viſa eſt, ejuſq; veſtigia diu in aëre notari potuerunt. Eodem anno prid. Non. Iun. repentinâ morte deceſſit Conradus Saliquus Imperator.

A. C. 1042. apparuit Cometa, quem ſequuta eſt mors Giſelæ viduæ relictæ Conradi II. Imp. *Schoſſerus.*

A. C. 1058. Cometes aliquot dies in Poloniâ fulſit, & eodem anno Caſimirus Rex obiit. *Lycoſthenes.*

A. C. 1064. Cometa aliquot menſi-

arſit. *Chronicon Saxonicum.* Henricus IV. Imp. anno ætatis 12. primùm arma induit permittente hoc Alberto Archiep. Bremenſi. *Bünt. in Chronologiâ.*

A. C. 1066. Conſtantini Ducæ Imp. anno ſexto, menſe Majo viſa eſt ſtella crinita Conſtantinopoli, Solem ſequens occiduum, quæ initio magnitudine æquavit Lunam plenam, deinde cum coma enaſceretur, minuebatur. Effulſit 13. noctibus. *Büntingus ex Zonarâ, in Imperio Conſtantini Ducæ.* Sequenti anno Conſtantinus Ducas longo morbo extenuatus deceſſit major ſexagenario.

A. C. 1077. Dominicâ Palmarum circa horam ſextam, ſereno cœlo ſtella apparuit. *Hiſt. Eccl. cent. 11. cap. 13. ex Sigeberto.* Henricus 4. Imp. hoc anno à PP. excommunicatus: Rudolphus Dux Sueviæ contra ipſum electus & coronatus primo prælio cum ipſo congreſſus eſt incertâ tamen non incruentâ victoriâ.

A. C. 1092. Cometa in plagâ meridianâ ſtans, ſuumque ſplendorem in obliquum gladii more protendens circa Nonas

nas Octobris viſus eſt, *Hiſt. Eccl. cent. 11. c. 13 ex Vrſpergenſi.*

A. C. 1095. die 7. Octobris, verſus meridiem conſpectus eſt Cometa formâ enſis. Eodem hoc anno iterum viſus eſt Cometa. *Chron. Saxon.*

A. C. 1097. Menſe Octobri in plagâ occidentali fulſit Cometa, & ſatione autumnalibus imbribus impeditâ fames exorta eſt. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Sigeberto. Büntingus ex Iohanne Stumphio.*

A. C. 1098. verſus occaſum viſa eſt ſtella inſtar incendii flagrans. *Chron. Sax. De hac ſtellâ Hiſtor. Eccleſ. cent. 11. cap. 13. ex Malmesburienſi ſic refert:* Cometa 15. diebus circa Calendas Octobris conſpectus, qui majorem partem ortui, & minorem Euroauſtro obvertit, aliæq; ſtellæ quaſi jaculis emiſſis viſæ.

A. C. 1099. menſe Octobri, Cometa arſit figurâ enſis. *Büntingus in Chronologiâ.* Sequenti anno peſte extinguitur Godefridus primus Rex Hieroſolymorum.

A. C. 1101. primâ quadrageſimæ hebdomade feriâ 6. circa veſperam in Au-

ſtrum & Occidentem inſolita ſtella lucere viſa eſt, & 25. dierum ſpacio ſplenduit eadem ſemper horâ. Huic ingens occurrit trabs ex oriente. *Hiſt. Eccleſ. cent. 12. c. 13. ex Bergomenſi.*

A.C. 1103. Cometa flam̃is latè rutilantibus exarſit. *Sebaſtianus Franco.* Hoc anno Henricus Craſſus Princeps ad Viſurgin, Comes Northeimenſis à Friſiis cæſus eſt.

A. C. 1106. à primâ ſeptimanâ quadrageſimæ uſque ad vigilias Palmarum conſpectus eſt horribilis Cometa. Eodem anno obiit Henricus IV. Imp. & filius ejus Henricus V. obſedit Coloniam. *Chron. Saxonic.*

De hoc Cometâ *Hiſtoria Eccleſiaſtica ex Simeone Dunelmenſi Monacho* ſic refert: Anno Domini 1106. 14. Calend. Martii, oſtenſa eſt ſtella quædam inſolita, & 25. dies eodem modo, eademque horâ viſa eſt lucere inter Auſtrum & Occidentem. Parva viſa eſt, & obſcura, ſed ſplendor, qui de eâ exivit, valdè erat clarus, & quaſi ingens trabs de Orientali & Aquilonari parte claritas ingeſſit ſe in eandem ſtellam

Iam. Legantur etiam de hoc Cometâ, quæ habet *Coſmodromion Perſonæ æt. 6. c. 55.* Quidam dixerunt, ſe plures inſolitas ſtellas eo tempore vidiſſe.

A. C. 1107. quadraginta dies & eo amplius ater Cometa circa noctis initium conſpectus eſt, qui longè comam trahebat. *Hiſt. Eccleſ. ex Tyrio lib. 11. c. 5.*

A. C. 1108. In Nordmanniâ Cometes per aliquot dies apparuit. *Hiſt. Eccl. ex Polydoro.*

A. C. 1109. arſit Cometa ſecundo anno Imperii Henrici V. contra quem cum Pontifex armaſſet Saxones, funeſtiſſimum bellū in Germaniâ accendit, quod quanquā quinquies multo eſſet depugnatum ſanguine, & præſtantes Principes periiſſent plurimi, ſedari tamen non potuit, donec Imperator victus pertinaci ambitione Pontificum, edictum avi Henrici III. abolevit, quo ſanxerat ille, ne quis pro Pontifice agnoſceretur, niſi Imperator electionem ratam habuiſſet. *Peucerus in divinat. loco de Meteorologiâ.*

A. C. 1110. die 6. Iunii viſus eſt Cometa radios ad Auſtrum ſpargens, quo

multi Regis Henrici expeditionem in Italiam portendi conjiciebant. *Hiſt. Eccl. ex Sigeberto & aliis.*

A. C. 1111. Henricus V. Imp. venit in Italiam; ut coronaretur. Contra ipſum PP. Rom. tantam excitavit ſeditionem, ut de vitâ & fortunis cogeretur dimicare magnâ cum civium cæde. Hos motus anteceſſit Cometa, qui diu fulſit, & judicatus eſt minitari Italiæ. *Phil. Mel. Chron. lib. 4. in Henrico V. Imperatore.* Terræmotus & Cometæ ſub hoc anno meminit etiam *Simeon Dunelmenſis, ut refert Hiſt. Eccleſiaſt. cent. 12. cap. 13.*

A. C. 1132. Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt. Lotharius Imp. pro coronâ Imperii conſequendâ Italiam petens Auguſtam Vindelicorum pervenit, quæ magnâ ex parte ſeditione inter cives & milites ortâ combuſta eſt. Imperator per Lombardiam & Hetruriam Italiam ingreſſus, Innocentio PP. reſtituto Romæ coronatus eſt cum Richâ conjuge. *Büntingus. Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13.*

A. C. 1133. 8. Idus Octobris, ſtella Cometæ

metæ apparet, unde Rex Angliæ, ſatuſq; regium ambientes, & alii quàm plures mirantes, & in cœlum oculos levantes, Solem ad inſtar novæ Lunæ lucere conſpexerunt: qui tamen non diu ſe uno modo habebat. Nam aliquando latior, aliquando ſubtilior, quandoq; incurvior, quandoq; erectior, nunc ſolito modo firmus, nunc movens, & ad modum vivi argenti motus & liquidus videbatur. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Priore Hauguſtaldenſi.*

A. C. 1145. menſe Majo apparuit Cometes, quem ſequenti anno ſecutus eſt terræ motus ingens, vicibus quindecim, in urbe Moguntinâ. *Hiſtoria Eccl. ex Mariano Scoto.* Contradus etiam Imperator & Ludovicus Rex Franciæ collecto exercitu expeditionem in terram Sanctam ſuſceperunt.

A. C. 1165. viſus eſt Cometa in ſigno Libræ, *ut ſcribit Herlicius.* Henricus Leo Dux Saxoniæ, VVoldemarus Rex Daniæ & Albertus Marchio in Vandalos gravem expedionem ſuſcipiunt. *Crantz. in Vandal. l. 5. c. 5.*

A. C. 1172. circiter in vigiliâ Natalis Domini, in occaſu 2. ſtellæ ignei coloris, quarum una erat magna, altera parva, apparuêre, fueruntque initiò quaſi conjunctæ, poſteà diſiunctæ & longo ſpacio diſtantes apparere deſierunt. Hinc civitas Turonenſis ac templum cathedrale incendio perierunt. *Hiſt. Eccl. cent. 12. c. 13.*

A. C. 1180. Alexius Connenus Iunior Imperium Orientis eſt adeptus. Ipſum Andronicus tutor triennio poſt nefariè occidit, regno ad ſe tranſlato, & ipſe viciſſim biennio pòſt Imperium cum vitâ amiſit ſublatus ab Iſaacio Angelo. Illo temporeCometa in cœlo conſpectus eſt, qui graviſſimas has clades portendit, atq; ipſum adeò Andronicum expreſſit. Nam ſerpentem ſinuoſum repræſentans nunc progrediebatur, nunc in ſpiras ſeſe colligebat, nunc cum horrore intuentium, quaſi inferiores ex alto devoraturus eſſet, humani ſanguinis avidus, vaſtum rictum aperiebat. Sed cum non ultra diei iſtius reliquum & ſequentem noctem duraſſet, evanuit. *Choniata in Imperio Alexij.*

An-

A.C.1202. Cometa apparuit in Scorpio, *ut aſſerit D. Herlicius.* Otto IV. Rom. Rex Goſlarienſes obſidione premit. Philippus itidem Rex mittit exercitum contra Ottonem: vaſtat Thuringiam, in urbe Erphurdenſi à Landtgravio Thuringiæ & Rege Bohemiæ obſeſſus vix evadit. *Meibomius Chron. Brunſuic. parte 1.*

A. C. 1211. Majo menſe Cometes 18. diebus, comâ in orientem Solem obverſâ, apparuit. *Cromer⁹ l.7. de geſtis Polonorum.* Poſt hunc Cometã Tartari Sileſios cum Henrico Sancto Duce vicerunt, & occiſis novem modios auricularũ abſciderunt.

A.C.1214. Duo Cometæ aſpectu terribiles menſe Martio viſi ſunt, quorum alter præcedebat, alter ſequebatur Solem. *Hector Boëtius lib.13. Chronicon. Hirſaug.* unius meminit, qui prid. Non. Martii apparuerit. *Refert. Hiſt. Eccl. cent. 13. cap. 13.* Hoc anno bellum fuit acerrimum inter Ottonem IV. Imp. & Albertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem. *Meibom. Chron. Brunſuic. part. 1.*

A.C.1217. in Autumno poſt Solis oc-

caſum ſtella in auſtrali parte apparuit, paulatim occidentem verſus declinans, ex adverſo coronæ Ariadnes. Ex eâ radius in modum trabis aſcendere in cœli medium uſq; viſus eſt. Et poſt dies aliquot iterùm diminutus, prioris ſtellæ formam recepit. *Refert Hiſt. Eccl. cent. 13. cap. 13. ex Vrſpergenſi & Schedelio.*

A. C. 1219. In Angliâ Cometes apparuit immenſæ magnitudinis. Secuti ſunt imbres continui, vehementiſſimi ventorum flatus: mare ſolito latius evagatum eſt. *Polyd. Virg. lib. 16.*

A. C. 1223. Cometa in occidente viſus eſt. *Hiſt. Eccl. cent. 13: ca. 13. ex Ganguino.* Hoc anno die 14. Iulii obiit Philippus Rex Franciæ. *Onuphrius.*

A. C. 1238. ſtella immenſæ magnitudinis apparuit per aliquot dies ante Solis ortum, quæ per longum cœli tractum veloci, crebroq; curſu ferebatur, modò ignem præ ſe ferens, modò fumum poſt ſe relinquens. *Polydorus lib. 16.*

A. C. 1239. Stella maxima inſtar Luciferi, ut facula ardens, apparuit, quæ ſe jacu-

jaculabatur per tractus aëreos quaſi ſagitta ignea, relinquens ignem & fumum. *Hiſt. Eccleſiaſtica ex Balæo.*

A. C. 1241. Cometes ſub initium hujus anni diebus 30. exarſit. *Polydorus lib. 16.*

A. C. 1255. Mare præter ſolitum excrevit, Cometeſq; apparuit atq; etiam loca eminentiora crebrò cœleſti igni tacta ſunt. *Polydorus lib. 16.* Hoc anno occiſus eſt VVilhelmus Imperator.

A. C. 1256. Cometa apparuit, *ut annotavit. Epitome mundi. Refert Hiſt. Eccl. c. 13. cent. 13.* Albertus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis obſidet Aſſeburgum. Archiepiſcopus Moguntinus & Theodoricus Comes Eberſteinenſis terram Gottingenſem infeſtantes capiuntur, & ad Ducem perducti pœnas perſolvunt.

A. C 1264. Cometes inſignis magnitudinis, orientem verſus illuxit, comam per cœli medium projiciens ad occiduum cardinem, & per tres integros menſes viſus eſt. *Erphordienſis. Bergomenſis. Niceph. Gregoras lib. 4. Hiſt. Rom.* de hoc Cometâ ſic habet: Cum Michaël. Imp. in

Theſ-

Theſſaliâ verſaretur, oſtentum in cœlo apparuit, vates & prænuncius malorum, Cometes illuſtris, juxta ſignum Tauri, noctu ſub diluculum, paulùm ſupra horizontem: & quantum Sol procedebat, tantum indies & ille ab horizonte diſcedebat, donec tandem ipſum cœli medium præteriret. Nam cum is primùm viſus eſſet, ſolſtitium æſtivum fuit, Sole Cancrum perambulante: cum langueſceret atq; extingueretur, idem Sol autumnale æquinoctium confecerat: Tribus interim ſignis peragratis Cometâ circa Taurum fixo ac paulatim evaneſcente. Qui cum cladem minitari videretur, Imperator valere juſsâ Theſſaliâ, laxis habenis Byzantium contendebat. Nam fama Scytharum Iſtrum accolentium, qui mox Romanos fines irrupturi eſſent, non mediocriter eum turbabat: qui, priuſquam in urbem rediſſet, univerſæ propè Thraciæ, inſtar exæſtuantis maris longè extra littora evagati, circumfuſi fuerant. *Hæc Gregoras.*

A. C. 1269. in Scotiâ Cometes admiran-

mirandæ magnitudinis quotidiè viſus eſt ſub meridiem. *Boëtius lib. 13.* Sequenti anno diem ſuum obiit S. Ludovicus Rex Franciæ. *Onuphrius.*

A. C. 1286. Cometa apparuit, qui comam occidentem verſus dirigebat. *Hiſt. Eccl. ex Iohanne de Oppido, & Faſciculo temporum.*

A. C. 1298. apparuit Cometa miræ magnitudinis & vagus. *Simoneta lib. 6. c. 14.* Hoc anno Albertus Auſtriæ Dux in prælio occidit Adolphum Imperatorem & in ipſius locum electus eſt. *Onuphrius.*

A. C. 1299. Cometa mirabilis viſus eſt. Calend. Xbris vehemens ventus ædificia evertit. *Hiſt. Eccl. ex Balæo.* Sequenti anno Bonifacius IIX. Iubilæũ celebravit: Legationem Alberti Imperatoris rejecit: Primo ſolenni die in Pontificialibus apparens benedictionem populo impertiit: Altero verò die in Imperiali habitu progreſſus, nudatum ante ſe gladium deferri juſſit cum acclamatione; Ecce duo gladii hîc. *Crantzius lib. 8. cap. 36. Saxoniæ*; qui narrationi hæc ſubjicit: Vides ô Pe-

ô Petre ſucceſſorem tuum: Et tu ſalutifer CHRISTE tuum cernis vicarium. Vide quò aſcendit ſuperbia ſervi ſervorum tuorum.

A. C. 1300. Horribilis Cometa viſus eſt. Sequenti anno Othomannus I. Imperium Turcicum eſt auſpicatus, quod deinceps ſubinde potentiâ crevit; & ad ſummum eminentiæ faſtigium conſcendit. *Schofferus.*

A. C. 1305. Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt circa ferias paſchatis, quem ſecuta eſt peſtilentia maxima. *Büntingus ex Chronico Saxoniæ.* In Comitatu Mansfeldenſi vix tertia pars hominum à peſtilentiæ malo fuit ſuperſtes. *Spangenb. Chron. Saxon. c. 276.*

A. C. 1312. Cometa horrendæ magnitudinis per 14. dies apparuit. *Büntingus ex Chron. Saxon.* Henricus Lutzelburgenſis Imp. bellum gerit in Italiâ, Florentiam obſidet. *Crantzius lib. 9. cap. 6. Saxon.*

A. C. 1313. Apparuit Cometa. *Milichius in lib. 2. Plin. cap. 25. Herlicius.* Henricus Imp. veneno perit. Electores diſſentientes

tes elegerunt Ludovicum Bavarum & Fridericum Auſtriacum, unde ortum eſt bellum octennale. Tanta fuit per Lithvaniam, Germaniam & Galliam fames, ut homo hominem mactaverit & devoraverit. Secuta etiam eſt peſtis, quâ tertia pars hominum abſumpta eſſe creditur.

A. C. 1314. Menſe Octobri horribili ſpecie tres continuos menſes arſit Cometa. Menſe Decembri obiit Philippus Pulcher Rex Francorum. Deſignavit quoq; bellum civile, quo Ludovicus Bavarus & Fridericus Auſtriacus, diſſentientibus Electorum ſuffragiis electi de Imperio octo annis decertarunt. *Peucerus in divinat. loco de Meteorologiâ.*

A. C. 1315. Apparuit Cometa, quem ſecuta trium annorum graviſſima annonæ penuria & peſtis, quibus tertiam partem hominum abſumptam eſſe traditur. *Büntingus.* De hoc Cometâ ſeu effectu ejus notus eſt verſus:

*Vt lateat nullũ tẽpus famis ecce CVCVLLVM.*

A. C. 1318. Apparuit Cometa in Cancro, *ut annotavit. D. Herlicius.* Hoc anno diem

diem ſuum obiit Albertus Princeps Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis.

Imperante Ludovico Cometæ effulſerunt duo, alter A.C. 1337. alter biennio pòſt. Secuta hos eſt præter atrocem peſtem pernicioſa diſſenſio Electorum, qui à Clemente PP. incitati depoſito Ludovico Carolum IV. crearunt: mox & eodem amoto Güntherum Comitem Schvvartzburgenſem accerſiverunt, quæ res novos peperit tumultus, & iterum ad arma concurſum eſt: Brevi pòſt tamen veneno ſublatus Güntherus Imperium Carolo conceſſit. *Peucerus in divinat. de Meteorol.*

A. C. 1337. Duo arſerunt Cometæ, prior menſibus quatuor, alter duobus. *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 283.* Peſtis hoc anno multa millia abſumpſit. Exarſit hoc tempore bellum inter duos potentiſſimos Reges Eduardum Angliæ & Philippum Galliæ.

A. C. 1338. obiit Andronicus junior Imp. Orientis. Ante obitum ejus, cum Sol propemodum ad ſolſtitium æſtivum per-

perveniſſet, veſperi ſtatim poſt Solis occaſum, ſtella non crinita, ſed barbata gladio ſimilis apparere cœpit. Ortum à pedibus Pegaſi ducebat, qui à ſpinâ Tauri parùm abſunt. Coma eius verſus Orientem latè extēdebatur: rectà quotidiè verſus Septentrionem aſcendebat tribus circiter partibus. Cum Polum Arcticum præteriſſet, & poſt eum Vrſam minorem & ſpiras Draconis, dextrum etiam Herculis pedem attigit, indéq; coronam Ariadnes, posteà ſiniſtram Ophiuchi manũ percurrit, & quia ibi latus eſt ſignifer circulus & æquinoctialis & locus calidus, durare Cometa non potuit, cum eius origo humidâ exhalatione conſtet; quare comâ diſſipatâ, & ipſe penitùs evanuit: quippe qui ſtellæ ſpeciem quidem haberet, ſtella verò non eſſet. *Nicephorus Gregoras Hiſt. Rom. lib. 11.*

A.C.1340. Hyeme finiente, & Sole in Arietem ingreſſo, apparuit Cometa in formâ enſis, non diſſimilis ei, qui ante triennium fuerat viſus, niſi quòd locus & motus differebant. Incipiebat hic in fine

Libræ, ubi tum ſtabat ſpica Virginis, & ſingulis horis progrediebatur 5. gradibus, donec veniret in ſignum Leonis, & tunc evanuit. Eodem anno Rex Angliæ Eduardus 24. Iunii pugnâ vicit Gallos, & naves eorum aut cœpit, aut fregit. *Chron. Saxoniæ.*

A. C. 1345. arſit Cometa. Sequenti anno Carolus IV. Rex Romanorum appellatus eſt contra Ludovicum Bavarum excommunicatum. *Onuphrius.*

A. C. 1347. Apparuit Cometa, quem magna fames eſt ſecuta. Et ſequenti anno multa hominum millia peſtis aſſumpſit. *Chron. Saxonicum.*

A. C. 1352. Menſe Septembri apparuit Cometa verſus Septentrionem, quem ſequuti ſunt venti vehementes & magna ſiccitas. *Schoſſerus ex Chron. Saxonico.*

A. C. 1362. Menſe Martio apparuit Cometa caudam ſuam verſus ortum protendens. Secuta eſt in regno Polonico magna annonæ caritas. *Schoſſerus ex Chronico Saxonico.*

A. C. 1382. circa ferias B. Martini viſus

ſus eſt Cometa diebus 14. *Chron. Saxonicum.*

A. C. 1400. & tribus ſequentibus arſerunt Cometæ. Eos ſequuta eſt mutatio Religionis in Bohemiâ & motus Huſſitarum. *Herlicius.* Eodem anno VVenceſlaus ab Imperio remotus eſt, ſubſtituto in ejus locum Friderico Duce Brunſuic. & Lunæburgenſi, qui Francofurto domum rediturus inſidiis Archiepiſcopi Moguntini prope Fritzlariam nefariè occiſus eſt.

A. C. 1401. Horribilis Cometa viſus eſt in fine Februarii, quem ſecuta ſunt bella & peſtis. *Chron. Saxon.*

A. C. 1402. Per dies aliquot arſit Cometa ingens, luridâ & funebri oblongâq; caudâ, verſus eam partem cœli, quæ in Corum ventum vergit, & ſequutæ ſunt novæ clades in orbe terrarum, quæ paſſim ex ingentibus motibus extiterunt. *Buntingus ex Peucero.*

A. C. 1403. Arſit Cometa inter orientem & ſeptentrionem, caudâ verſus ſeptentrionem protensâ; quem ſequu-

tum eſt ingens Bellum Bavaricum. Exſpiravit eodem anno Tamerlanes Tartarorum Tyrannus immaniſſimus.

A.C.1408. fuit Eclipſis Lunæ, & arſit Cometa. *Spangenbergius Chron. Sax. cap. 305.* Ladiſlaus Rex Apuliæ Romam invaſit, Capitolium occupavit, Angeli arcem obſedit, ſed à Paulo Urſino rurſum urbe ejectus eſt. Bellum fuit Archiepiſcopo Magdeburgenſi cum Principibus Anhaltinis.

A. C. 1433. Ingens Cometa arſit, poſt quem Philippus Dux Burgundiæ, Hennegojam, Hollandiam, Seelandiam occupavit Bavaris inde ejectis. De effectu hujus Cometæ videatur in Eclipſi Solari anno eodem factâ.

A. C. 1434. viſus eſt Cometa. Hoc anno mortuus eſt Bernhardus Dux Lunæburgenſis.

A. C. 1439. Apparuit Cometa. Eodem anno die Simonis & Iudæ obiit Albertus II. Imp. Amurathes Turcicus Imperator tum magnâ cum ſolennitate Mahometem filium circumcidi curavit: Invaſit

vaſit Raſciam & Serviam, Sanderoviam arcem occupavit, Stephani deſpotæ filiis abductis & deinde excœcatis. Occupavit etiam Epirum Scanderbegi patriam, & Theſſalonicam urbem demolitus eſt. *Schoſſerus.*

A. C. 1444. Apparuit Cometa in Leone. Hoc anno pridiè Martini Ladiſlaus Hungariæ Rex ad Varnam cum Amurathe Turcarum Imp. hoſtili exercitu congreſſus in prælio occiditur cum Iuliano Cardinale Legato Pontificis Eugenij, qui fuerat Regi autor rumpendi fœderis, quod paulò antè cum Amurathe optimis conditionibus factum fuerat. *Paulus Iovius.*

A. C. 1445. Viſus eſt Cometa. Hoc anno obiit diem ſuum Otto Dux Lunæburgenſis.

A. C. 1454. Viſi ſunt Cometæ duo. Hoc anno Fridericus Dux Brunſuicenſis, VVilhelmi ſen. filius acie victus ab Archiepiſcopo Colonienſi capitur. Cives Lunæburgenſes ortâ ſeditione prioribus depoſitis novos ſibi elegerunt Senatores. *Chr. Sax.*

A. C. 1456. Cometa per æſtatem de nocte apparuit, cum Mahometes II. Imp. Turcarum Belgradum obſideret. Menſe Auguſto cum Mahometes Iohannem Hunniadem urbem alacriter propugnantem continuis & cruentis duorum dierum præliis exercuiſſet, accepto in pectore vulnere concidit, & pro exanimi ex acie elatus eſt. Turca caſtris exutus amiſſis ad 40. hominum millibus & machinis bellicis fugâ vitam conſervavit. *Iovius.* *Chronicon. Saxon.* ſic habet: Menſe Iunio poſt Viti exarſit Cometa in 45. gradu Cancri, verſus ortum, & integrum menſem viſus fuit. Obiit etiam hoc anno Iohannes Hunniades Turcarum fulmineus terror dictus.

A. C. 1457. Apparuit Cometa in 20. gradu Piſcium, *ut notat Peucerus*; quem ſequuta eſt mors repentina Ladiſlai Regis Bohemię, in ipſo nuptiarum apparatu veneno ſublati. Peſtis graſſata eſt in Hungariâ. Rex Scotiæ vaſtavit Angliam.

A. C. 1461. Viſus fuit Cometa, *ut annotat Curæus*, quem ſecuta eſt mors Sophiæ

phiæ relictæ viduæ Ladiſlai Regis Poloniæ: & Caroli VII. Regis Galliæ.

A.C. 1471. in autumno viſus eſt Cometa. Ludovicus Landgravius Haſſiæ diem ſuum obiit. *Spangenb. Chron. Saxon. cap. 337.* Turca Trapezuntum in Aſiâ & VValachiam in Europâ occupavit. Henricus VI. Rex Angliæ ab Eduardo IV. in prælio victus in carcere necatus eſt.

A. C. 1472. Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt circa diem S. Agnetis, ſub Librâ, qui arſit hebdomades 4. *Büntingus ex Chron. Saxon.* Horribile bellum hoc tempore geſtum eſt in Epiſcopatu Hildesheimenſi, cum duo creati eſſent Epiſcopi, Henningus de domo nobilis & Balthaſar Dux Megapolenſis. Duravit hoc bellum triennium. Ab Henningi partibus fuerunt VVilhelmus ſen. ejuſq; filius Fridericus Duces Br. & Lunæburgenſes. Erphurdiæ incendium abſumpſit ſex ædificiorum millia. Fatalis etiam fuit hic Cometa Georgio Regi Bohemiæ. Chronologia Cometæ eſt in his verbis: *ECCe CVI CoMeta LVXIt.*

A. C. 1473. Cometa apparuit in Cancro, *ut ſcribit D. Herlicius.* Hoc anno die S. Nicolai, obiit Henricus Manſuetus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, frater VVilhelmi Senioris.

A. C. 1475. Cometa apparuit in Librâ, *ut annotavit Herlicius.* Secutum eſt magnum incendium Cracoviæ: Bellum Caroli Burgundi: Bellum Caſimiri Regis Poloniæ, Ladiſlai Bohemiæ, & Matthiæ Hungariæ: quo miſerè vaſtata eſt Sileſia, Moravia, Bohemia & aliæ regiones vicinæ: Donec Erneſtus Elector Saxoniæ & Iohannes Marchio Brandenburgicus pacem fecerunt. In Hungariâ, Moraviâ, Poloniâ tanta fuit Locuſtarum copia, ut volitando Solem obſcuraverint. *Cromerus.*

A. C. 1477. prid. Epiphan. Carolus Dux Burgundiæ ad Nanſeium à Renato Lotharingiæ Duce & Helvetiis victus & trucidatus eſt, cum duobus fratribus nothis & viris multis præſtantibus. Arſit eodem hoc tempore horribilis Cometa cœruleo pallore ſubniger. *Bünting.* Obierunt

runt etiam hoc anno Maria Caroli Burgundi filia, Maximiliani I. Imp. uxor: Matthias Rex Hungariæ: Albertus Elect. Brandenburgicus, Achilles Germanicus dictus.

A. C. 1491. Cometa præceſſit mortem Caſimiri Regis Poloniæ. Anno ſequenti Henricus ſenior Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis Brunſuigam obſidione preſſit. *Chron. Saxoniæ.*

A. C. 1493. Poſt conſpectum Cometam ex hac vitâ exceſſerunt Carolus IIX. Rex Galliæ: Eberhardus Dux VVirtembergicus: Fridericus III. Rom. Imp.

A. C. 1500. die 20. Maji, Cometa apparuit in Septentrione, ſub dodecatemorio Capricorni. Curſum ſuum direxit ad Podoliam, Lithvaniam & Ruſſiam. Cum menſe Iunio diſparuiſſet, Tartari in Podoliam, Moſchi in Lithvaniam irruerunt, eaſque miſerè vaſtarunt: Illis ſeſe oppoſuerunt Poloni. *Chron. Sax. Milichius in lib. 2. Plinii cap. 25. Büntingus in Chronologiâ.* Hoc anno die 12. Septemb. in Phryſiâ ad Embdam obiit Albertus

Dux Saxoniæ, Dextera Imperii manus & Rolandus Germanicus cognominatus. *Henninges in tabulis Genealogicis.*

A.C. 1504. Ingens Cometa figurâ facis ardentis viſus eſt, quem ſecuta magna ſiccitas. *Schoſſerus ex Corn. Gemmâ.*

A.C. 1505. Apparuit Cometa, quem ſecuta ſunt multa Illuſtriſſimorum hominum funera. *Schoſſerus.* Hoc anno Sophi Perſarum Rex cum Turcis in Aſiâ congreſſus, multa eorum millia occidit. *Chron. Bavaricum.*

A.C. 1506. circa Idus Septembris Cometa viſus eſt prope plauſtrum, verſus Hiſpaniam comam ſpargens. Eodem anno die 25. Septembris obiit in urbe Burgarum Philippus Rex Hiſpaniarum, Maximiliani I. Imp. filius anno ætatis 28. climacterico quarto, relinquens duos filios Carolum annorum ſex & Ferdinandum trium, qui uterq; deinde ad Imperii faſtigium evecti ſunt. *Büntingus ex Calendario Pauli Eberi.*

A.C. 1511. conſpectus eſt Cometa in Leone, *ut annotavit D. Herlicius.* Sequenti an-

anno die Paſchatis facta eſt cruenta iſta pugna ad Ravennam, de quâ dictum eſt ſuprà in Eclipſi Lunæ A. C. 1511. factâ.

A. C. 1516. Apparuit Cometa. Secuta eſt magna annonæ caritas. Obiit Ferdinandus Rex Hiſpaniarum Caroli V. & Ferdinandi Impp. avus maternus. Obiit etiam eodem anno Ladiſlaus Rex Hungariæ. Hoc anno, menſe Auguſto Selimus Imp. Turc. Aegypti Sultanum Campiorem acerrimo prælio vicit. *Eberus. Paulus Iovius.*

A. C. 1517. apparuit Cometa in Leone, quem ſecuta eſt magna annonæ difficultas Conſtantinopoli, in Italiâ & Germaniâ. *D. Herlicius.* Selimus Imp. Turcicus Hieroſolymam occupavit: Alcairum Aegypti urbem expugnavit, & Tomumbejum Circaſſum ultimum Sultanum Aegyptiorum à ſuis proditum, mulæ impoſuit, & laqueo de collo pendente per totam urbem circumductum, tandem gulâ laqueo fractâ, ad portam Baſuelam unco ferreo ſuſpendi juſſit. *Paulus Iovius.*

A. C. 1524. Apparuit Cometa. Hoc anno,

no, nocte inter 9. & 10. dies Decembris, Henricus Sudphanienſis, auditor Lutheri, vir excellens ingenio, eruditione, & ſanctitate vitæ, ab hoſtibus Evangelii capitur, & poſt multos cruciatus ſequenti die crudeliſſimè interfectus comburitur. *Lutherus Tom. IV. Ienenſi. fol. 27. b.*

A. C. 1527. Viſus eſt Cometa in Leone, *ut ſcribit Herlicius & Gemma.* Hoc anno exercitus Caroli V. occupavit Romam. Sequenti anno Veneti & Galli obſederunt Neapolin, ſed à Germanis & Hiſpanis repulſi ſunt.

A. C. 1530. Inter Comitia Auguſtana menſe Iunio apparuit Cometa. *Chronicon Saxoniæ.*

A. C. 1531. Menſe Auguſto Cometa ex eorum genere, qui Pogoniæ vocantur, apparuit in plagâ Solis occidentis. Proximo anno vel idem vel alter ſimilis ei conſpectus eſt manè in orientis Solis parte. *Camerarius in vitâ Philippi Melanchthonis.* Vagatus eſt per Leonem, Virginem & Libram. *Milichius in Plinii lib. 2. c. 25.* Secutum eſt bellum Helvetiorum, quo

oc-

occubuit Huldrichus Zvvinglius. Obiit Ludovica mater Franciſci Regis Galliæ. Obiit etiam anno ſequenti Iohannes Elector Saxoniæ. In Helvetiâ, Sueviâ & Alſatiâ magna fuit annonæ caritas.

A. C. 1532. Per Septembrem & Octobrem Cometa fuit viſus ante Solis ortum. *Sleidanus lib. 8.* Hic Cometa prædictus fuit ab Appiano. *Milichius in lib. 2. cap. 25. Plinii.* Solimannus Turcarum Imp. ſecundò in Auſtriam irrumpens, multis ſuorum amiſſis pedem retulit.

A. C. 1533. circa finem menſis Iulii totâ nocte fulſit Cometa ad ſtellas propinquas Septentrionalibus. *Camerarius in vitâ Philippi Melanchthonis.* Sequenti anno Iohannes Leidenſis Sartor Monaſterii in VVeſtphaliâ noctu cœpit docere Anabaptiſmum, & ſequentibus annis cum collegis regnum conſtituit. Impietatis & vanitatis pœnas tandem dederunt A. C. 1535. *Sleidanus lib. 10.* De tribus his Cometis, duorum annorum ſpacio conſpectis, & eorum effectibus eſt etiam *apud Meibomium in Chron. Brunſuic. parte 1.*

A. C.

A. C. 1538. Viſus eſt Cometa, qui portendit mortem Carolo Duci Geldriæ, Georgio Duci Saxoniæ & Iſabellæ uxori Caroli V. Imperatoris. *D. Herlicius.* Philippus Landgravius Haſſiæ viſo hoc Cometâ dixit, portendi adventum Hiſpanici exercitus in Germaniam. *Phil. Mel. in Epiſtolis ad Camerarium.*

A. C. 1539. die 24. Maji arſit Cometa. *Büntingus.* Anno ſequenti in Conventu Principum & Theologorum Haganoæ diem ſuum obiit Ericus ſen. Dux Brunſ. & Lunæb. ſeptuagenarius.

A. C. 1541. die 21. Auguſti apparuit Cometa in formâ draconis cum caudâ longâ igneâ. *Schofferus.* De hujus Cometæ effectu vide ſuprà in Eclipſi Solis A. C. 1540. factâ.

A. C. 1542. Horribilis Cometa ſupra Conſtantinopolin viſa eſt 40. diebus. Secuta eſt expeditio magna adverſus Turcam, cui interfuit Mauricius Dux Saxoniæ annos natus 21. pòſt Elector. Eodem anno vehemens ventus immensâ copiâ Locuſtas ex Lithvaniâ adduxit in Poloniam

am & Sileſiam, magno cum detrimento agrorum & pratorum, ubi conſederunt. Die 29. Auguſti ſupra Uratiſlaviam volitantes denſitate ſuâ Solis conſpectum ademerunt alicubj hominibus. *Schofferus.*

A. C. 1556. die 28. Februarii, Cometa cœpit fulgere, & conſpectus eſt per duos menſes, magnam trahens caudam, pallidi coloris, magnâ celeritate tendens verſus Septentrionem. *Büntingus in Chronologiâ.* Secuta ſunt hunc Cometam mors duorum Electorum Adolphi Colonienſis & Iohannis Trevirenſis: Clades pecoris: Caritas annonæ in Belgio: Peſtis: Bellum inter Philippum Regem Hiſpaniæ & Paulum IV. PP. Bellum etiam fuit in Hungariâ, Livoniâ, Italiâ, Galliâ. Sub finem Iunii hoc anno in Angliâ XIII. propter ſincerioris religionis confeſſionem ad palum ſimul alligati cremantur. Philippus Rex Hiſpaniæ & Maria Regina Angliæ uxor ſequenti anno bellum movent Henrico II. Regi Galliæ. Hiſpani & Angli ad S. Quintinum feliciter depugnarunt die 10. Auguſti. Cœſi ſunt quinquies mil-

mille, capti decies mille homines. *De hoc Cometâ eſt etiam apud Sleidanum lib. 26. Meminit etiam ejus Philippus Melanchthon in ſuis Epiſtolis.* Et illius de eo hoc extat carmen:

*Oſtendit terris & in aëre multa ſereno,*
*Irrita nequaquam ſigna futura* DEVS.
*Signaq;, naturæ quæ non imitantia leges,*
*Portendunt ſubitũ non procul eſſe malum.*
*Vidimus hoc anno rapidum flagrare Cometen,*
*Sulcantem dubias multa per aſtra vias.*
*Quodq; fuit mirum, vicino Sole Cometæ*
*Cum ſoleant primas arripuiſſe faces:*
*Non prius accenſos hic cœpit ſpargere crines,*
*Aſtrorum quàm dux è regione ſtetit.*
*Aequabat motu Phœbus noctemq; diemq;,*
*Vdaq; purpurei tempora veris erant.*
*Halitus è molli ſublatus ad æthera terrâ,*
*Cum rutilæ ſpeciem cœpit habere comæ.*
*Primùm, quâ cœli* προτρυγητῆς *parte refulget,*
*Semina flammarum conſpicienda dedit.*
*Altiùs Arcturi mox ad faſtigia pergit,*
*Sub rapido nullas dum facit axe moras.*
*Deniq; ſicca ſuper Cynoſuræ ſidera vectus,*
*Occupat Arctoæ ſigna ſuprema plagæ.*

*Inde*

*Inde gradum retrò facit, & qua noſter Horizon*
*Aſtra capit, curſu proximiore legit.*
*Ac ſimul Auroram petit Eoumq; cubile,*
*Phœbus anhelantes unde reducit equos.*
*Hic ſubit Iaſiden, & quæ te trans vada Ponti*
*Aërium, Perſeu, carpere fecit iter.*
*Candida cornigeri Phœbus jam lumina Tauri,*
*Nec modò Phryxeæ vellus habebat ovis:*
*Protinus illius veſtigia trita Cometes*
*Arripit, & Soli ſidera juncta tenet.*
*Hoc iter errantis multi vidêre Cometæ,*
*Qui fera Teutonicis damna minatur agris.*
*Sunt anni decies octo, quo tempore vixit*
*Dux qui Burgundas Carolus auxit opes:*
*Tunc in ſupremâ ſimilis regione Cometes*
*Aëris horrifico miſcuit igne comam.*
*Is motu ſimili ſeſe per inane volutans,*
*Permenſus cœli climata multa fuit.*
*Aſtrææ primùm tenuit confinia Libræ,*
*Arctoi petiit culmina deinde poli.*
*Sed remeans illinc, medium quà circulus orbem*
*Dividit, aſtrigeram lumine texit ovem.*
*Nulla ætas vidit flagrantem impunè Cometen,*
*Non leve venturum nunciat ille malum.*

*Tunc quoq; crebra tulit ſummis incommoda regnis,*
*Civiles motus, publica damna tulit.*
*Quippe ſecuturas ſtrages, triſteſq; ruinas,*
*Atq; tuæ retulit, Carole, ſigna necis.*
*Poxima vix ea poſt incendia venerat æſtas,*
*Carolus Helvetico cæſus ab hoſte cadit.*
*Tu quoq; Tiſiphone mundi, tu dirus Alaſtor,*
*Peſtis & immenſi fax Mahomete mali,*
*Paulò pòſt fugiens cecidiſti Hydruate relictâ,*
*Tandem blaſphemos opprimit ira* DEI.
*Nunc quoq; blaſphemos tangens Turcoſq; Papamq;*
*Adproperans Nemeſis, judiciumq;* DEI.
*Dogmata turbabit, paſſim ſterileſcere campos*
*Coget, & adducet tempora dura famis.*
*Sed quæramus opem divinitùs, atq; precemur*
*Aeterno gnatum de genitore* λόγον.
*Filius æterni* λόγ**ȣ** *effigieſq; Parentis,*
*Aſſiduus cuſtos agminis ipſe ſui,*
*Defendet ſanctos inter mala plurima mundi,*
*Qui mitem toto corde precantur opem.*
*Cura ſit intereà vitam coluiſſe modeſtam*
*Omnibus, & verbi diſcere jura ſacri.*

A. C. 1557. apparuit Cometa, qui por-

portendit ſeditiones, quæ in Livoniâ ſequutæ ſunt. *Herlicius.*

A. C. 1558. Moſci irruptionem fecerunt in Torparenſem Livoniæ Provinciam, eamq; miſerè vaſtarunt. Proceres ergò Dominicâ Oculi convenerunt, ut deliberarent, quid conſilii in rebus deploratis caperent. Eodem autem tempore Torpati viſus eſt ingens & horribilis Cometa, longâ & formidabili caudâ, qui univerſis inſpicientibus terrorem incuſſit. Placuit igitur Proceribus factis induciis pacem petere. Inter pacis tractationem fortè inducias violant Livones: Moſcus ergò Livoniam hoſtiliter invadit, expugnans Narviam, Nienhuſium, Torpatum. *Arthuſius Tom. 1. lib. 1. Mercurii Germanobelgici.*

Anno eodem à die 6. Auguſti uſque ad diem S. Bartholomæi viſus eſt Cometa obſcurus & pallidus, qui in comâ Berenices exarſit. Die 21. Septembris obiit Carolus V. Imperator. Menſe Novembri obiit ipſius nurus Maria Regina Angliæ. Rex Hiſpaniæ & Galliæ extrema tentare

volentes, copias ingentes produxerunt, & præſentes apud exercitum fuerunt: Sed interventu pacificatorum poſt levia aliquot prælia pax eſt facta. Sequenti anno Calendis Ianuarii placidè obdormivit Chriſtianus III. Rex Daniæ.

A. C. 1560. In Galliis diebus 28. viſus eſt Cometa. Menſe Aprili VVitebergæ obiit M. Philippus Melanchthon. Menſe Decembri è vitâ deceſſit Goſtavus Rex Sueciæ.

A. C. 1564. arſit Cometa. Die 25. Iulij, qui D. Iacobo ſacer eſt, diem ſuum obiit Ferdinandus Rom. Imperator. Anno ſequenti Lazarus Schvvendius Eq. Aur. à Maximiliano II. in Tranſylvaniam contra Turcos miſſus, eos ſecundis aliquot præliis ſuperavit. Turci inſulam Maltam fruſtrà oppugnarunt. *Claudius Grangeus in Commentario de bello Melitenſi.*

A. C. 1572. poſt funeſtas iſtas nuptias, ſeu lanienam Pariſienſem ipſis D. Bartholomæi feriis factam, die 16. Novembris conſpecta eſt nova ſtella rhomboidis figuram conſtituens cum tribus ſtellis ter-

tertiæ magnitudinis in Caſſiopeâ, quarum una erat ſecunda in ordine huj⁹ ſideris, altera quarta, tertia duodecima. Comam non habuit, fulgore autem ſcintillante & magnitudine ipſum Iovem ſuperavit. Et quamvis motu primi mobilis 24. horarum ſpacio aſſiduè circumageretur, ut ſtellæ fixæ, motum tamen proprium & peculiarem non habuit, ſed ſub eodem ſemper puncto octavæ ſphæræ conſiſtens, non in elementari, ſed æthereâ regione hæſit, in Sphærâ videlicet Veneris. Fulſit per integrum annum 1573. circa cujus finem paulatim deficiens prorsùs extinguitur. *Büntingus in Chronologiâ.*

Subjicio *ex Epigrammatis Theodori Bezæ*, in novam illam, & ſeculis omnibus ſuperioribus inauditam ſtellam, cum illâ carnificinâ Gallicâ nefandiſſimâ exortam, Auguſto menſe, anno Domini 1572.

PROGNOSTICON.

*Iſte novus nullo metuendus crine Cometes,*
*Et radians puro cui nitet igne jubar:*
*Ecquid portendat terris,* DEUS *ille Deorum*
*Novit, & oſtendent tempore fata ſuo.*

*Quòd ſi humanæ aliquid poſſunt præſcire mentes,*
*Talia rimari nec mihi ſigna nefas.*
*Fallor ego, aut ille eſt Ieſſæam qualis in urbem*
*Duxit ab Eoo qui priùs orbe Magos.*
*Et qui naſcenti præluxit, nunciat idem*
*Ecce redux reducẽ rurſus adeſſe* DEVM.
*Huic igitur felix, ô turba applaude piorum,*
*Herodes, caveas tu tibi quiſquis eris.*

Anno 1573. Rex Poloniæ declaratur Henricius filius Henrici II. Gallorum Regis. Illo ſequenti anno vix Poloniam ingreſſo & inaugurato, frater Carolus-Maximilianus Galliæ Rex moritur. Proinde Henricus clàm ex Poloniâ in Galliam redit, & mortuo fratri ſuccedit. Anno 1574. Lipſiæ diem ſuum obiit Ioachim⁹ Camerarius. Georgius Cracovius Iuriſconſultus, Caſparus Peucerus Medicus incarcerati ſunt. Cuſtodiæ etiam mandati ſunt IV. Theologi VVitebergenſes DDDD. Fridericus VVidebramus, Caſparus Cruciger, Henricus Mollerus, Chriſtophorus Pezelius. Fama eſt Dn. Peucerum intuentem hanc ſtellam dixiſſe amicis: Hæc

ſtella

ſtella mihi extrema minatur. *Büntingus.* Eodem hoc anno obiit etiam Solimannus Imp. Turcicus.

A. C. 1576. Apparuit Cometa. Eodem anno Maximilianus II. Imper. Romanorum à maximâ parte Senatorum Poloniæ & Lithvaniæ Rex Poloniæ eligitur & renunciatur. Alii verò Poloniæ Proceres eligunt Stephanum Bathorium Tranſylvaniæ Principem, qui, Imperatore moram trahente, regno & ſorore Regis anteceſſoris potitur: Imperator verò 12. Octobris, Ratisbonæ in Comitiis, mœrore & curis confectus obiit diem ſuum. *Chytræus Chronici Saxon. lib.23.*

A.C.1577. die 10. Novembris, ſub Aquilâ volante in aſteriſmo Antinoi apparere cœpit horribilis Cometa, longiſſimam caudam ſpargens ab occaſu verſus ortum. Progreſſus eſt ſecundum ordinem ſignorum ad collum uſq; Pegaſi, fuitq; ſine dubio prænuncius belli Mauritani paulò pôſt ſecuti; quo A. C. 1578. die 4. Auguſti, Sebaſtianus Rex Luſitaniæ & Mahometes Mauritaniæ Rex vitam cum

victoriâ amiſerunt : Abdelmelecus autem victor in fervore pugnæ apoplexiâ mortuus victoriam & regnum Hameto fratri peperit & reliquit. Legatur de hâc pugnâ ſuprà in Eclipſibus Lunæ A. C. 1577. factis. Anno 1578. die 13. Ianuarii, horribilis iſte Cometa in collo Pegaſi extinctus eſt. *Büntingus in Chronologiâ.* Legatur etiam de hoc Cometâ *Arthuſ. Tom. 2. lib. 4.*

A. C. 1578. menſe Octobri in fronte Pegaſi iterùm viſus eſt Cometa obſcurus & pallidus, celeri motu ad caput Ophiuchi tendens. Circa initium anni ſequentis factus eſt orientalis. Cumq; priùs verſus Ortum comam ſparſiſſet, propter cœli circumgyrationem tandem verſus Septentrionem caudam porrexit, & paulò pòſt defecit. Eodem anno Dux Parmenſis expugnavit Mediomatricum civitatem. Gravis peſtilentia Saxonicas civitates duriter afflixit. Hoc anno propter aſſiduas pluvias meſſis parum fuit felix, unde anno ſequenti annonæ orta eſt caritas.

A. C. 1582. die 14. Maji Lipſiæ & alibi apparuit horribilis Cometa. Hoc anno obiit

obiit Otto Comes de Hojâ ultimus. Sequenti anno deceſſit Philippus Comes de Spigelberg & Pyrmont, familiæ ſuæ poſtremus.

A. C. 1583. Leovitius obſervavit conjunctionem in Ariete, & hinc prædixit Cometam, qui etiam ſecutus eſt. *Schoſſerus.* Hoc anno Erneſtus Dux Bavariæ declaratus eſt Archiepiſcopus Colonienſis adverſus Gebhardum Truchſeſium, unde in Archiepiſcopatu Colonienſi funeſtum bellum exarſit.

A. C. 1593. apparuit Cometa, quem *D. Herlicius* in Prognoſtico ſuo prædixerat. Menſe Iulio paſſim per Germaniam, Italiam & Galliam viſus eſt hic Cometa, inq; oriente conſtitutus caudam oblongam & tenuem meridiem verſus extendit. Iudenburgi in Stiriâ ſtella quædam nigra in Sole apparuit: Machinis aliquot bellicis ex oppoſito diſpoſitis, ex quibus magnæ quantitatis pilæ in Solem torquebantur. Marpurgi etiam in Haſſiâ tribus continuis ejuſdem menſis diebus Sol circa meridiem apparuit atro circumſeptus

ptus circulo, haud aliter ac ſi nigrę rotundæq; affixus foret tabulæ. In Galliâ tum factæ ſunt induciæ inter Regem & Reformatæ religionis homines, poſtquam Rex Navarræus in Catholicam religionem juraſſet. *Arthuſius Tom.4. lib.1.*

A. C. 1596. arſit Cometa, qui peragravit Cancrum, Leonem & Virginem, animadverſus ſub ore Urſæ majoris, feſtinavit ad comam Berenices. Quid eo & ſequenti anno acciderit, legatur *in Chronologiâ Bucholtzeri.*

Anno 1597. ad Hercyniam & in Comitatu Honſteinenſi magna fuit annonæ caritas. Modius Northuſanus ſiliginis ſeu frumenti veniebat primò Ioachimico, mox Philippico. Et ea erat tum frumentariorum malitia, ut nulli venderent frumentum, niſi quis integros vel Ioachimicos vel Philippicos ſolveret. Circa æſtatem hujus anni in montanis Monaſterii VValkenredenſis ſylvis viſus eſt Vermis ſeu Coluber colurnus, ein Haſelworm/ circiter 18. pedes longus. Sequenti anno multi paſſim homines peſtilentiæ ma-

malo ſunt abſumpti. In monte D. Andreæ, in Benniconis ſaxo & vicinis pagis, ultra dimidiam incolarum partem malum abſtulit, Elrichiæ etiam cum Paſtore ſuo magno numero cives defuncti ſunt.

A. C 1602. Cometa apparuit in pectore Cygni. De effectu hujus Cometæ legatur in Eclipſi Solari eodem anno factâ.

A.C. 1604. die 3. Octobris, ſub magnâ conjunctione Saturni, Iovis & Martis, inuſitata ſtella in cœlo apparere cœpit, & initio etiam anni ſequentis adhuc flagravit. Fuerunt ab initio non pauci, qui Heſperum eſſe putarent, ſtellam nimirùm Veneris, idq; propter eà, quòd licet magnitudine & fulgore alias ſuperaret ſtellas, caudam tamen nullam, quod Cometis uſitatum eſſe ſolet, oſtentarit. Verùm cum diligens accederet obſervatio, compertum eſt, non Veneris, ſed inuſitatam aliquam ſtellam, & ut verius dicam, Cometam fuiſſe. Cœpit autem apparere hic Cometa die 3. Octobris, veſperi

ſperi paulò poſt horam ſextam, conſtitutus in 17. gradu Sagittarii, uno gradu & 30. ſcrup. ab Eclipticâ remotus, cum Jupiter 19. Saturnus 11. Mars verò 22. ejuſdem ſigni gradum obtinerent. Non tamen immotus eo loco perſtitit, ſed progreſſum indiès fecit, donec 1. Novembris die, 17. prædicti ſigni gradum aſſequeretur. Quò loci cum ſequenti Novembr. 10. circiter quintam veſpertinam etiamnum deprehenderetur, ſtationarium eum factum, moxq; retrogradum futurum, & curſum ſuum per Eclipticam, verſus dextram Serpentarii, indeq; per medium Cygnum ad Caſſiopeæ ſidus directurum eſſe exiſtimatum eſt, quo loci præterito 1572. anno Cometam etiam viſum eſſe, qui huic quidem magnitudine & ſplendore non admodum diſſimilis fuerit, multi ſunt, qui etiamnum meminerunt. *Arthuſius Tom. 6. lib. 1. Mercurii Germ.* ubi etiam prolixè commemorat, quid de ſignificatione hujus Cometæ ſit ſtatuendum.

Scripſerant etiam de hoc Cometâ

*M. Al-*

*M. Albinus Mollerus & Paulus Nagêlius Mathematici inſignes.* Obſervavit etiam Cometæ hujus curſum, ſublimitatem, magnitudinem & effectum *Iohannes Crabbe Ducalis Brunſuicenſis Geometra induſtrius.* Notandum & hoc, hunc Cometam anno præcedenti prædictum fuiſſe *à D. Davide Herlicio.*

A. C. 1607. ſub tempus æquinoctii Autumnalis, 16. nempe Septembris die, crinitus in Lunari regione Cometa apparuit, qui caudâ in ortum directâ velociſſimo verſus meridiem curſu, à ſiniſtro humero Bootæ ad pedem dextrum Serpentarii properando, tria Zodiaci ſigna, Libram nempè, Scorpium & Sagittarium perambulavit. *Arthuſius Tom. 7. lib. 3. Merc. German.* De hoc Cometâ peculiariter etiam commentati ſunt *D. Herlicius & Theodorus Majus.*

A. C. 1618. ardente in Bohemiâ bello, Cometa in cœlo ardere cœpit, prolixâ admodùm caudâ formidabilis. Viſus is primùm apud nos 16. Novembr. fuit horam circiter matutinam quintam, accen-

cenſus nimirùm in Scorpione juxta duos Planetas, Martem & Mercurium, à quibus flammam concepiſſe haud immeritò putatur, cum præſertim Cometas omnes effect⁹ habere ejuſmodi, quales à Marte & Mercurio cientur, Ptolemæus etiam annotatum reliquerit. Ex Scorpione deinde progreſſus fuit contra ſignorum ordinem in Libram, ſumptoq; ex Oriente Septentrionem verſus itinere per diſſectum medium Booten ad cingulum ejus uſq; tranſiit, & caudam ſupra verticem noſtrum, prolixo admodum intervallo juxta inferiorem Urſæ minoris pedem extenſam habuit, donec ultra Cancri tropicum progreſſus, circa 14. Decembris iterum diſparuit, cogitandi nobis de effectis & ſignificatione ejus materiâ non vulgari relictâ, quam editis in lucem multis doctiſſimis, poſt meum diſcurſum ſcriptis, Aſtrologi prolixè ſatis explicarunt & pertractarunt. Extant de Cometâ hoc monetæ aureæ argenteæque, cum ſcripturâ meâ ejuſmodi cuſæ:

Ar-

Ardet divini Numinis Aſtrum.

*M. Godfridus Arthuſius Tom. 12. lib. 3. Mercurij.*

Cæterùm de hoc Cometâ ſcripſerunt *D. David Herlicius Medicus Stargardiæ in Pomeraniâ: M. Paulus Nagelius Lipſ. Theologus & Aſtrologus: Caſparus Dauthendey Medicus & Mathematicus*

Cometam hunc duobus menſibus anteceſſit terræmotus horribilis, quo in Alpibus Rheticis oppidum Plura obrutum eſt An. Chr. 1618. die 25. Auguſti. Sequenti anno die 15. Ianuar. circa Francofurtum etiam factus eſt terræmotus. An. Chr. 1618. die 2. Novembr. Maximilianus frater: 14. Decembris Anna uxor Matthiæ Imperatoris obierunt. Quos An. Chr. 1619. die 20. Martii ipſe Imperator Matthias ſecutus eſt. Eodem anno menſe Majo ſepulta eſt Anna uxor Iacobi Magni Regis Angliæ. Obiit etiam hoc anno uxor Philippi III. Regis Hiſpaniæ. Anno eodem die 24. Decembris ex hac vitâ deceſſit Iohannes Sigiſmundus

dus Elector Brandenburgicus. Anno 1619. finiente, die videlicet 30. Decembris, mortalem hanc vitam finiit, & cum æternâ permutavit Matthæus Gothus ſenior, de Eccleſiâ Stolbergenſi & humanioribus literis, maximè verò de Linguâ Græcâ optimè meritus.

Hi-

# HISTORIAE PARELIORVM

*à M. HENRICO ECKSTORMIO collectæ, &*

Bonæ ſpei puero, Matthiæ Eckſtormio filio, amoris paterni ergò, inſcriptæ.

# DE PARELIIS

## *Diſſertatio Methodica & ſimplex.*

MEminiſti, Matthia fili, te mecum vidiſſe heri, (Erat is proximus dies à feriis D. Apoſtoli Gentium Converſi,) tres in cœlo Soles. Atq; hoc ſpectaculum nobiſcum haud dubiè commune fuit multis hominibus, qui nobiſcum eundem habent Horizontem ſeu Finitorem, ut vocant Mathematici.

Nominantur ejuſmodi ſigna Mathematicis in genere μετέωρα, Græcis ita dicta, quòd in ſublimi appareant ſeu conſpiciantur; in ſpecie verò παρήλια, à τῷ παρὰ καὶ τοῦ ἡλίου. Tametſi autem non ſolùm vulgus imperitum, verùm etiam Epicurei Dei & rerum divinarum contemptores iſta vel negligenter animadvertant, vel ſuperbè faſtidiant, qui illud Ulyſſis Homerici de ſe rectè dicere poſſent *ex Od. l. 10*

Ω φίλοι οὐ γὰρ τ᾽ ἴδμεν ὅπῃ ζόφος, οὐδ᾽ ὅπῃ ἠώς.

*Non ubi ſurgat nox, auroráve ſcimus amici:*

Vult

Vult tamen Deus, ut homines pii & ſaniores hæc diligenter obſervent, ſicut Christus *Luc. 21.* monet, ut ad ſignorum iſtorum cœleſtium contemplationem capita noſtra tollamus. Memineris hîc verſus *Naſonis ex 1. Metam.* elegantiſſimos:

*Pronaq; cum ſpectent animantia cætera terrā:*
*Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri*
*Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Bruta animalia quidem à Deo *ita* ſunt creata, ut prono capite terram reſpiciant, & inde alimenta petant: Sed hominem, imaginem ſuam ita creavit Deus, ut erecto vultu incedat, ſublato capite adſpiciat & adſpiret cœlos, opus manuum Dei, ubi olim cum ipſo & S. Angelis, omnibuſq; beatis in omnem æternitatem ſumus futuri.

Contempletur ergò homo lucida iſta Cœli corpora, quæ ad teſtandam omnipotentiam, ſapientiam & providentiam ſuam hominis uſui creavit, & nobis è ſublimi contemplanda propoſuit, ut ipſius bonitatem agnoſcamus & grato pectore colamus.

Præter corpora autem iſta in regione Athereâ nobis exhibita, quæ ſunt ſtellæ fixæ & Errantes ſeu Planetæ; ſæpe etiam apparent in regione Elementari omnis generis μετέωρα, ut Mathematici vocant. Atq; hæc ut plurimùm juſtam DEI iram adverſus hominum peccata portendunt, & graviſſimas pœnas denunciant iis, qui in peccatis perſeverant. Et proinde omnibus hominibus diligenter obſervanda & conſideranda ſunt.

Viſum igitur mihi eſt paucis te erudire de heſterno iſto trium Solium ſigno. Sequar autem formam iſtam, ut uſitatiorem Scholis, ita etiam expeditiorem, quæ à Methodo nomen accepit. Contraham igitur rem in brevia hæc capita. Primò rem definiam; deinde enumerabo cauſſas præcipuas, quæ ſunt, Efficiens, Materia, Forma & Finis; Poſtremò recitatabo quædam exempla Pareliorum, cum ipſorum effectis ſeu eventibus. Tuum erit hæc diligenter notare, &, quæ jam per ætatem nondum rectè intelligis, eò aſpirare, ut adultior aliquando uberiorem iſtarum rerū cognitionē adipiſcaris. Πα-

Παρήλιος Græcis nominatur, quod heri vidiſti mecum prodigium: Eſt Sol geminatus, ſeu gemini Soles, ut interpretatur *Gaza*. Hinc Græcis & Latinis ſingulari numero uſurpatur. Hiſtorici Παρήλια dicunt plurali numero, quando binos treſve Soles apparuiſſe tradunt. *Suida ita ſimpliciter definit:* Παρήλιος νεφέλη πεπυκνωμένη καθ' ὑπερβολὴν, καὶ αὐγαζομένη ὑπὸ τοῦ ἡλίου. h. e. Parelius eſt nubes admodum denſata, fulgens à Sole.

Eſt autem Parelius reflexio radiorum Solis in nube denſâ & æquabili, quæ ad latus Solis exiſtit, & veluti ſpeculum Solis radios recipit coloremq; ejus inde refert, unde plures Soles fulgere exiſtimantur in ortu aut occaſu. Hæc eſt definitio *Freigij, quam tradit lib. 25. quæſt. Phyſicarum. Milichius in 2. lib. Plin. cap. 21. ſic definit:* Fit Parelius, quando nubes ex latere Solis vel orientis vel occidentis collocata fuerit maximè æquabilis & ex æquo denſa, quæ velut ſpeculum imaginem ſeu εἴδωλον Solis recipit atq; exprimit. Eadem ratio eſt Paraſelenarum, h. e. quando plu-

res Lunæ apparent. Unus autem eſt verus Sol, & una vera Luna: Reliqui Soles ſeu Lunæ ſunt tantùm εἴδωλα ſeu imagines veri Solis ſeu Lunæ ex refractione radiorum Solarium & Lunarium in nube ortæ.

Atq; hæc res ſimilitudine declarari poteſt. Ut ſæpè videmus in aquâ & in aëre denſiore, reliquiſq; corporibus, quæ ſuperficie levi & æquabili conſtant, velut in ſpeculo exprimi res juſtâ proportione ad ipſa collatas: Sic Solis ad nubem æquabilem & denſam poſiti ſimulacrum exprimitur.

Ex Definitione ſine negotio colliguntur cauſſæ.

Efficiens Parelii cauſſa eſt vis cœleſtis attrahens materiam nubis, ipſamq; preparans ad formam ejuſmodi recipiendam.

Materialis cauſſa eſt nubes denſa, æquabilis & regularis, quæ ex obliquo Solis collocata eſt ita, ut nec ſuprà, nec infrà, neq; etiam è regione exiſtat, ſed tantùm ad latus.

For-

Formalis cauſſa eſt refractio radiorum Solarium in nube ad latus Solis exiſtente, quæ omninò inſtar ſpeculi radium recipit, coloremq; Solis apparere perinde facit, ut quando ab aëre levi ob ejus denſitatem aſpectus frangitur. Atq; inde fit, ut hæc μετέωρα ad latus Solis, non è regione Solis, ut Iris, neq; ſub Sole, ut halo, conſpiciantur.

Atq; hîc etiam tenendum eſt, in meridie nunquã vel rarò fieri Parelia, quôd refractio radiorum ad latus nubis ſit imbecillis: Plurimùm autem fieri oriente vel occidẽte Sole, quòd tùm nubes radiis Solaribus non ſit diſſoluta atq; attenuata.

Sciendum etiam hoc, quòd aliquando plures quàm duo conſpiciantur Soles; Idq; accidit: Quemadmodum in ſpeculis contuſis unius hominis facies plures cernuntur; Ita nubis roridæ ſuperficies ſic diſpoſita, ut una alteram ſeçet, fit aliquando in duabus aut pluribus nubis ſuperficiebus radiorum Solarium reflexio, ut aliquando plures uno conſpiciantur in ſingulis lateribus.

Finalis Parelii cauſſa, ſeu materialis effectus eſt ſignificatio pluviæ: Significat enim aërem plurimam imbrium materiam continere. Magìs autem id ſignificat, quando Parelius in Auſtrinâ, quàm Aquilonari cœli regione conſiſtit: Aër enim Auſtrinus faciliùs in pluvias reſolvitur, quàm Septentrionalis.

Sed præter hanc Phyſicam ſignificationem haud dubiè aliud etiam portendunt Parelia. Cum enim fermè omnes cœleſtes impreſſiones in naturâ abditam quandam & ſecretam ſignificationem habeant: Ita dubium non eſt etiam Parelia ſingulare aliquid divinitùs portendere. Lubet hîc ſubjungere memorabilem eâ de re ſententiam *Peuceri V. Cl. ex Divinationum loco de Meteorologiâ*, quæ ſic habet: Plures Soles, *ſcribit ille*, ferè viſos conſtat, cum nova eſſent fœdera conſuta, aut ſtructæ adornatæq; conſpirationes, vel ad rapienda imperia, vel eos, qui præſiderent, de faſtigio dejiciendos: aut omninò, niſi aliqui res novas molirentur, à quibus impenderent innovationes turbationesve etiam in Religione. Ve-

Velut indices hi occultorum conſiliorum, atque in perniciem regnorum clàm conciliatarum ſocietatum in cœlo eminent, nitentq; obvii omnibus. Utq; εἴδωλα illa quantumvis expreſſam Solis referant faciem, fulgeantq; Solis inſtar clarè nitidéq; adeò, ut ſuo illum ſplendore nonnunquam obfuſcent, durentq́; quantumvis diu, tamen diſſipantur tandem & diſpereunt: ita ferè conjunctiones confœderationeſque opprimendorum eorum cauſâ, qui rerum potiuntur, initæ, in nervum erumpunt ac diſſiliunt, ipſiſque exitio ſunt autoribus, quantumvis arctis devinciantur & muniantur vinculis, feliciterq́; principiò procedant. Vincit nativus ſplendor, εἴδωλα aſcitiis picta coloribus pereunt. *Et aliquantò pòſt ſic ſcribit:* In Pareliorum ſpectaculo Sol Regum gerit perſonam, eorumve qui præſunt: Cujus ut & nitori inſidiantur, & ſplendorem imitantur atque uſurpant aſcititio fuco Parelia: Ita eos adumbrant, qui regna affectant & principatus, eoſq; ad ſeſe detruſis legitimis

 do-

dominis transferre annituntur: Qui accedunt circuli & circulorum colorationes, artes & machinationes, quibus & ſtruunt quod moliuntur, & ornant atq; excuſant, referunt. *Hæc Peucerus.* Et huc facit, quòd apud Romanos ſacra peculiaria expiationis cauſsâ fiebant, quando duo Soles aut ſimilia oſtenta ex cœlo apparuiſſent, de quibus eſt *apud Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. lib. 5. cap. 27.*

Atq; hæc ſufficiant compendioſiùs dicta de Pareliis. Ut autem planius fiat, quod de ſignificationibus eorum monui, ſubjicio nunc quædam Pareliorum exempla, iiſq; addo ex bonæ notæ hiſtoriis, qui illa ſequuti ſunt effectus.

# HISTORIAE PARELIORVM

## *Cum brevibus narrationibus Eventuum.*

ANno Mundi 3795. h. e. ante CHRISTUM natum 174. Urbis Romæ 579. Sp. Poſthumio & Q. Mutio Coſſ. in cœlo tres Soles viſos ſcribit *Plinius lib. 2. cap. 31.*

Eodem anno Seleucus Rex Syriæ ab Heliodoro familiari, quem Angeli in templo Hieroſolymitano percuſſerant, occiſus eſt. Antiochus Epiphanes Româ in regnum redit, & fratri ſuccedit. Anno ſequenti Iaſon pulſo Oniâ fratre, Principatum Sacerdotii Hieroſolymitani magno precio emit ab Epiphane Antiocho. Et paulò pòſt ſequutum eſt bellum Macedonicum.

A. M. 3806. ante C. N. 163. Formiis interdiu duo Soles viſi ſunt, *ut habet Iulius Obſequens.*

Eo-

Eodem hoc anno accidit cruentum illud prælium Iudæ Maccabæi cum Lyſiâ. *1. Maccab. 4.* Sequenti anno Antiochus Epiphanes ab obſidione Perſepolis repulſus incidit in morbum. *1. Maccab. 6.*

A. M. 3847. ante C. N. 122. In Galliâ tres Soles & tres Lunas viſus eſſe *ſcribit Obſequens.* De Lunis idem ſcribit *Plinius lib. 2. cap. 32.* & addit illas à plerisq; appellatos eſſe Soles nocturnos. Sequenti anno C. Grachus Tribunitiam poteſtatem volens vi continuare, cum Flacco ſocio in Aventino monte ex Senatus conſulto occiſus eſt ab Opimio Conſule.

A. M. 3851. ante C. N. 118. Urbis Romæ 635. tres Soles viſi ſunt, *teſte Plinio lib. 2. cap. 31.* Hoc anno Martius Coſ. Sarnios gentem Alpinam expugnavit. Mycipſa Numidarum Rex mortuus, regnum reliquit tribus filiis. Non multò pòſt Ptolemæus Phyſcon Aegypti regno pulſus eſt.

A. M. 3865. ante C. N. 104. in Piceno tres Soles viſi ſunt, ut ſcribit *Iulius Obſequens.*

*quens.* Eodem anno Marius Coſ. miſſus eſt contra Cymbros & Teutones.

A. M. 3925. ante C. N. 44. M. Antonio & P. Dolobellâ Coſſ. apparuerunt tres Soles, *teſte Plinio lib. 2. cap. 31. & Iulio Obſequente.* Eodem anno C. Iulius Cæſar in curiâ Pompeji à ſexaginta conjuratis confoſſus eſt. Illi ſucceſſit Auguſtus Cæſar, qui ſequenti anno Antonium vicit, & à Mutinâ repulit, quo prælio uterque Coſſ. Hirtius & Panſa occubuerunt.

A. M. 3927. ante C. N. 42. Urbis Romæ 711. M. Lepido & L. Planco Coſſ. trini Soles apparuerunt, *ut annotavit Plinius & Iulius Obſequens.* Eodem anno Brutus & Caſſius ab Octavio & Antonio victi ſibi necem conſciverunt. Sequenti anno Antonius Phaſelum & Herodem Antipatri filios tetrarchas Iudææ conſtituit. *Ioſephus lib. 14. cap. 23.* Sequutus eſt etiam Triumviratus Octavii, Antonii & Lepidi, & haud dubiè portendit Parelius ſocietatem iſtam non diu duraturam, duobus Solis idolis veluti in ventum diſſipatis, remanente & rerum potiente tertio.

Cir-

Circa ipſum nativitatis IESU CHRISTI tempus in oriente conſpecti ſunt tres Soles, qui paulatim in unum corpus coierunt, *ut ſcribit Hermannus Contractus Monachus, qui circa A.C.1040. Chronicon ſcripſit.* Hujus Parelii ſignificatio non obſcura eſt ex hiſtoriâ Evangelicâ, quæ perhibet, univerſum orbem tum deſcriptum fuiſſe à Cæſare Auguſto. *Luc.2.*

Mentio & religio ſacratiſſimi & humano generi auſpicatiſſimi hujus temporis movet me, ut huc adſcribam, quæ hinc non aliena ex bonæ notæ ſcriptoribus refert *Claudius Paradinus in Symbolis ſuis Heroicis.* Ea ſic habent:

Sub Imperium Auguſti Cæſaris, *teſte Plinio lib.2. cap.28.* Romæ circum Solem apparuit ſtellata corona, ſeu etiam velut ex ſpicis triticeis, unà cum verſicoloribus circulis concurrentibus. *Suetonius* verò hoc ipſum prodigium recenſens *in Octavio Auguſto cap. 95.* unius tantùm circuli meminit inſtar Iridis Solarem globum amplectentis. *Dion* Plinii narrationem propiùs ſecutus, præter inauditam, quæ tunc

runc apparuit, inſolitamq;, cujus etiam meminit, ſtellam, aſſerit quoq; ſplendorem Solis obſcuriorem factum, accedentibus tribus aliis circulis amplioribus, quorum unus ſimilitudinem referebat coronæ ſpiceæ. Addit alio ulteriori loco *Dion*, Solem ſubfuſcum interdum noctu lumen reddidiſſe. Demùm hoc conſtat, Dominum IESUM CHRISTUM, verum lumen, Solemq; juſtitiæ tempore Auguſti Cæſaris natum, cujus nativitas & adventus ſummam totius boni mortalibus adferens, tam potuit cœleſti miniſterio demonſtrari, quàm fuit oſtenſa ejus paſſio atque mors juxta Evangelium CHRISTI; quando videlicet obſcurato Solis ſplendore factæ ſunt in orbe univerſo tenebræ. *Hæc & plura piè Paradinus in Symbolo, quod inſcribitur: Hæc conſcia numinis ætas.*

A. C. 51. Claudii 9. tres Soles apparuerunt, ſtatimque ſimul in unum orbem cojerunt. Hoc Parelion ſuâ ætate viſum Claudio Principe & Corn. Orfito Coſſ. *ſcribit Plinius lib. 2. cap. 31.* Hoc anno

Rha-

Rhadamiſtus Hyberorum regis Pharaſmanis filius, Mithridatem Armeniæ regem cum uxore & liberis circumventos occidit, quem Vologeſes Parthorum rex regno pepulit, & Tyridatem fratrem ſuum in Armeniæ regnum deduxit. *Tacit. lib. 12.*

A. C. 68. Neroni Imperatori ſucceſſit Galba: Galbæ poſt menſes 7. Otto: Ottoni poſt dies 94. Vitellius, qui Imperio præfuit menſes 8. dies 24. Sunt qui ſcribant tunc temporis viſa eſſe Parelia, quæ frequentem iſtam Imperii mutationem portenderint.

A. C. 527. obiit Iuſtinus Imperator, quo imperante, plures viſi ſunt Soles. *Turonenſis.* Et eodem anno cœpit imperare Iuſtinianus: Et illo imperante aliquandiu manè Sole oriente tres vel quatuor Soles viſi ſunt. *Hiſt. Eccl. cent. 6. cap. 13.*

A. C. 957. Duo ſimul Soles conſpecti ſunt. *Hiſt. Eccl. cent. 10. cap. 13. ex Leone Hoſtienſi.*

Ludolphus ab Ottone Magno patre in Italiam miſſus compeſcuit Berengarium

rium crudeliter ſævientem in quoſcunq;, & cædibus atq; exiliis patriam deſolantem. Ludolphus tandem re feliciter geſtâ hoc anno 957. mortuus eſt.

A. C. 1056. electus eſt Henricus IV. Rom. Imperator, quem variis modis exagitaverunt Pontifices Romani, qui contra ipſum excommunicatum fecerunt Imperatores Rudolphum Sueviæ & Hermannum Lotharingiæ Duces; illum A. C. 1073. hunc 1080. Sed uterq́; miſerè periit.

A. C. 1074. 6. Cal. Febr. ad utrumq́; latus Solis duæ columnæ aurei coloris cum Sole ortæ ſunt, cum præcedenti nocte ſub Galli cantum Iris viſa eſſet. Eodem anno facta eſt conſpiratio Principum & Epiſcoporum Saxoniæ contra Henricum IV. Imperatorem. Sequenti anno, die 9. Iunii factum eſt acerrimum prælium inter Imperatorem & Saxones ad Unſtrum, quo Imperator victoriam ſed admodum cruentam obtinuit. *Büntingus in Chronologiâ & Chron. Brunſ. parte 3.*

A. C. 1103. In feriis cœnæ Domini conſpectæ ſunt duæ Lunæ, antequàm di-

es illuxit, una in oriente, altera verò in occidente. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Bergomenſi.*

A.C. 1105. Duo orbes in modum Solis, formâ & lumine quotidiano luminis ſimiles, apparuerunt, omnium colorum ſpecie radiantes inſtar arcus cœleſtis. *Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. ex Sigeberto & Erfordienſi.*

A.C. 1106. Duos Soles apparuiſſe, *Eadem Hiſt. Eccl. refert ex Epitome Mundi*, & affirmat etiam *Faſciculus temporum.* Circa hæc tempora Henricus V. inſtinctu Romani PP. & Principum quorundam à patre ſuo Henrico IV. defecit, ipſumq; parricidiali bello perſequutus eſt. Tandem die Natali Dominico ineuntis anni 1106. conventus Principum patrem inſignibus Imperialibus privavit, & filium ijſdem ornavit. Pater quidem 6. Id. Auguſti eodem anno obiit: Filius autem hanc impietatis ſuæ mercedem promeruit, ut A. C. 1125. ſine liberis decederet.

A.C. 1107. à Solis ortu uſque ad horam tertiam viſus eſt Sol habere duos collate-

laterales, magnitudine quidem pares, ſed ſplendore minores. *Hiſt. Eccl. cent. 12. c. 13. ex Tyrio.*

